



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

Liber secundus. De quinto praecepto Decalogi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

*Si is. ff. eod. Tit. hic statutum est:* [ Si is, cui via, vel actus debebatur, ut vehiculi certo genere vteretur, alio genere fuerit vltus, videamus amiserit nec ne seruitutem, & alia sit eius cōditio, qui amplius onens, quam licuit, vixerit, magisque hic plus, quam aliud egisse videatur: licuit si rationi tenere vsus sit, aut si plura iumenta egerit, quam licuit, aut aquar admiscuent aliam. Ideoque in omnibus istis quæstionibus seruitus quidem non amittitur: non autem conceditur plus, quam pactum est in seruitute habere. ] Sic ibi.

Septimo, *Quæ seruitutes dicantur diuiduæ, & quæ indiuiduæ?* Respondeo, solam seruitutem vsusufructus esse diuiduam. *l. Si vsusufructus. ff. Ad legem Falcidianam.* Vnde reliquæ omnes seruitutes sunt indiuiduæ. *l. Stipulationes non diuidantur. ff. de Verbo. obligat.*

Octauo queritur, *Quæ actiones sint de seruitutibus?* In *l. 2. ff. Si seruitus vindicetur*, sic est: [ De seruitutibus in rem actiones competunt nobis ad exemplum earum, quæ ad vsusufructum pertinent, tam confessoria, quam negatoria: confessoria ei, qui seruitutem sibi competere contendit: negatoria Domino, qui negat. Hæc autem in rem actio confessoria non alij, quam Domino fundo competit. Seruitutem enim nemo vindicare potest, quam qui dominium in fundo vicinio habet, cui seruitutem dicit deberi. ]

Nono queritur, *Quænam veniant in actione confessoria, vel negatoria de seruitute?* In *l. Locum corpus. ff. eod. Tit. §. 1.* habetur sic: [ In confessoriam actionem, quæ de seruitute mouetur, fructus etiam veniunt. Sed videamus, qui possunt esse fructus seruitutis. Et est verus, id demum fructum nomine computandum, si quid in re sit agentis, seruitutem nõ prohiberi. Sed & in negatoria actione: vt Labeo ait] fructus computantur, quando interest patientis, non vt fundi sui tenere aduersarium. Et hanc sententiam, & Pomponius probat. ]

Decimo queritur, *Quinam possessor, vel quali possessor esse dicatur?* Vlpianus in *l. Sicuti. §. Sed si queratur. ff. Si seruitus vindicetur*, hunc in modum scribit: [ Sed si queratur, quis possessoris, quis petitoris partes sustineat: sciendum est, possessoris partes sustinere ( si quidem tigna immissa sunt) eum, qui seruitutem sibi debet ait: si vero immilla non sunt, eum qui negat. Et si quidem is obtinuerit, qui seruitutem sibi defendit: non debet ei seruitus cedi, siue rectè pronuntiatum est ( quia debet) siue perperam: quia per sententiam non debet seruitus constitui, sed quæ est, declarari. ]

Vndecimo queritur, *Quinam possint vt actione confessoria, & negatoria de seruitutibus?* Respondeo, eos posse vti, quorum prædia, siue ea, quæ debent seruitutem, siue ea, quibus seruitus debetur. *l. 1. & 2. §. Hæc autem, & l. 1. §. Competit. ff. Si seruitus vindicetur.* Vtuntur etiam eisdem actionibus hæredes Dominorum stipulantium, qui & agunt. *l. 1. §. ex his igitur, vers. ex quo quidem. ff. de Verbo. obligat.* Vtuntur etiam aratores prædiorum, quibus seruitus debetur, eorumque hæredes. *l. Cum fundo. ff. de Seruit. rustico. præd.* Quod si plures Domini fundi vnus sunt, cui seruitus debetur, quilibet illorum in solidum agere potest: sed in estimatione id, quod interest veniet, scilicet, quod eius interest, qui experitur. Et si vnus sit fundus, qui seruitutem debet, aduersus vnumquemque illorum agi potest: Et qui defendit, in solidum restituere cogitur, quia hæc res diuisionem non recipit. *l. Si quis diuiturno.*

*§. Agi autem. ff. Si seruitus vindicetur.*

FINIS LIBRI PRIMI.

# INSTITVTIONVM MORALIVM PARTIS TERTIÆ DE QVINTO PRÆCEPTO DECALOGI. LIBER SECVNDVS.



IS breuiter de Iure, ac Iustitia in genere prælibatis, sequitur vt præcepta, quibus ius proximi violari prohibetur, aggrediamur. Nā quinto præcepto prohibetur iniuria, qua proximus factò læditur in persona propria: sexto, qua factò læditur in persona coniuncta; quamuis ad hoc etiam peccata contra castitatem reuocentur: septimo, qua proximus factò læditur in rebus proprijs: Octauo, qua verbo læditur.

Hoc igitur libro agemus de quinto præcepto: vbi de Homicidio, Duello, Bello, & participantibus in homicidio, præterea de Ira, Inuidia, Maledictione, & Crudelitate. Verum antequam de his agamus, quædam generatim præmittenda sunt.



*Quaedam notanda ante explicationem  
primi precepti.*

**R**imo notandum; ad peccata contra hoc Preceptum pertinere omnia peccata, quibus Proximus in sua persona laeditur, quia sunt, occidere proximum, vulnerare, mulare, verberare, percutere alapa, vel fuste, vel baculo, tractare illum ignominioso opere, sed non verbo: nam contumelia, quibus proximus verbo leditur, pertinent ad octauum Preceptum Decalogi.

Secundo notandum, ad haec peccata iam commemorata, reduci omnia peccata, quae pertinent ad odium in proximum, ad inuidiam, ad vindictam, ad bellum iniustum, ad rixam, ad pugnam iniquam, ad similitates, seditiones, dissidia illicita, ad proditionem patriae, ad consurationem in Republicam, ad crudelitatem in proximum.

Tertio notandum, In iure Canonico homicidium quantum ad penas contrahendas, esse duplex, vnum voluntarium, alterum casuale. Voluntarium dicitur, quod est per se intentum, seu procuratum; quod contingit dupliciter. Primo, quando quis facit aliquid eo animo, ac intentione, vt mors alicuius sequatur. Secundo, quando quis facit opus, quod sua natura ordinatur ad mortem alicuius, licet ex intentione operantis non dirigatur ad necem, verbi gratia, si quis portiget venenum mortiferum non animo occidendi; si quis ictum, vel vulnus infligat letale non animo occidendi. *Navarrus cap. 27. num. 240.*

Casuale homicidium dicitur, quando contingit praeter intentionem agentis, aut omitentis opus aliquod, vnde mors alterius consequitur: de hoc dicam inferius late, vt vnumquodque discernatur.

Quarto notandum, Homicidium posse dupliciter esse voluntarium, vel directe, vel indirecte. Directe voluntarium homicidium est, quod est per se intentum. Indirecte voluntarium est, quod est intentum in alio, nimirum opere, vel omissione operis, vnde mors secuta est: De his omnibus dicam inferius.

Quinto notandum, Homicidium fieri sex modis, Facto, Consilio, Mandato, Defensione, Permissione, Auxilio, siue Patrocinio, *Immo. cap. Ad audientiam, de Homicidio.*

*De Homicidio secuto, ex hoc, quod quis iniustorem iniquum occidit.*

CAPVT I.

**P**rimo queritur, An sit licitum, vim repellendo, iniustorem iniquum occidere, vt quis vitam suam propriam defendat? Respondeo, communem esse opinionem id esse licitum iure naturali, diuino, ciuili, & canonico: quia naturale est omnibus animantibus, vt seipsa tueantur, & aduersa, & contraria repellant. Quare Accurius in hoc male dixit. *ff. de Iustitia, & iure. l. Vi vim*, solum esse permissum occidere iniustorem iure fori, no iure polie: quod est dicere, non puniri in foro iudiciali, esse tamen illicitum in foro conscientiae. Merito reprehenditur à Maiore in 4. *Dist. 15. q. 20.* & Couart. in *Relect. de Homicidio, in Clem. de Homicid. cap. Si furiosus par. 2. in principio.*

Secundo queritur, Ad hoc vt licitum sit occidere vim vt repellendo iniustorem, quidnam requiratur? Respondeo, ex sancto Thoma *quest. 64. art. 7.* communiter recepto, Caetano *ibidem*, Soto *lib. 5. de Iustitia. q. 1. a. 8.* Silueiro, *verbo Bellum 2. quest. num. 1.* Maiore 4. *Distinct. 75. quest. 2.* Nauarro in *Manuali cap. 15.* Couarruua *de Homicidio, in cap. Si furiosus, Clem. de Homicidio*, requiri, vt occidatur iniustor cum moderamine inculpatae tutelae. Ad moderamine autem inculpatae tutelae requiritur, Primo, vt ini-

uustor sit iniustus, hoc est, iniustat contra iustitiam. Secundo, vt iniustus non prius offendant, quam iniustatur. Tertio, vt iniustus tueatur se, & offendant iniustorem in ipso congressu, non autem post factum interuallum, hoc est, non post congressum finitum, & perfectum. Quarto, Vt quamdiu potest iniustus se tueri non occidendo, non occidat: vnde non debet iniustus maiori vi iniuriam repellere, quam sit vis iniustoris. Verbi gratia, si pugni caelitur, non debet se armis defendere, nisi pugni sint tam magni, vt mortem possint inferre. Si iniustatur ab inermi, non se defendat armis. Item, si potest se tueri solum percutendo, non occidat: si baculo iniustatur, non se defendat ense, nisi tumeat se baculo interueniendum, aut grauer vtinetandum. Quinto, Debet iniustus probabiliter existimare se grauer laedendum, vel occidendum, si vim non pellat. *Navarrus ubi supra, & communiter omnes, Siluester, Couarruua, & Corrubens lib. 1. sui Quaestionarij quest. 38.*

Tertio queritur, An sit licitum cuiunque personae iniustorem occidere, vt se defendat à morte? Dico id esse licitum cuiunque etiam Clerico, & Religioso, quia hoc ius est naturale à natura iniustum: cuiunque enim animali instinctus est se tuendi contra aduersarium, & contraria vitandi. *Maior ubi supra, & communis opinio.*

Quarto queritur, An sit licitum iniustorem occidere, etiam si necesse sit eum occidere ad defensionem nostram in loco sacro, aut tempore sacro, quo Missa Sacrificium peragitur, aut Sacramenta administrantur, aut officia diuina fiunt, ita vt licitum sit ea omnia incerta relinquere? Respondeo, id esse licitum in his omnibus casibus, quia ius se tuendi est naturale, & illa praedicta sunt iuris Positiui, aut Diuini, aut Ecclesiastici: *Siluester ubi supra, communis opinio.*

Quinto queritur, An in bello miles, qui scit, vel credit bellum esse iniustum ex parte sui Principis, licet possit se tueri, & defendendo se, occidere militem contrarij exercitus, à quo iniustatur in singulari pugna ipsius bellici confictus? Duae sunt opiniones: Prima asserentium, non esse licitum, quia bellum non est iustum ex vtraque parte. Item, quia ab alio milite non iniustatur iniuste. Optimo secunda est asserentium, licet possit occidere defendendo se. *Sic Soto lib. 5. de Iustitia. quest. 1. art. 7.* quia semper habet ius se tuendi. Deinde, quia non debet finire se tali morte perire: sed debet prius monere, & procurare militem aggredientem, vt desistat ab aggrediendo, quod si monitus nolit desistere, tunc iniustus ius habet tuendi se, & alterum occidendi pro sua defensione. Quod si dicas, Bellum non potest esse iustum ex vtraque parte. Respondeo: Princeps non gerit iniustum bellum, sed iste miles iure tueatur se, postquam alterum militem mouit, vt desisteret ab armis, & noluit.

Sexto queritur, An sit licitum hoc ius tuendi se contra iniustorem, quicunque tandem sit iniustor? Respondeo, esse licitum, verbi gratia, filio contra patrem, vxori contra maritum, seruo contra Dominum, subdito contra Regem aut Principem, militi contra Ducem, aut Imperatorem belli, laico contra clericum, innocenti contra Iudicem iniustentem contra Iustitiam. *Siluester verb. Bellum. 2. quest. 4.*

Septimo queritur, Quid si iniustor sit Rex, vel Princeps, vel persona alia communi Republicae bono maxime utilis, & iniustus sit vilis, aut vulgaris homo, An tunc licitum sit iniustorem occidere? Duae sunt opiniones. Prima est asserentium non esse licitum, quia bonum commune est praefendum priuato, sic videtur sentire Soto loco supra citato. Opinio secunda aliorum est, esse licitum, quia quando bonum publicum est praefendum priuato, id tunc est, quando est necessarium per se, & ex natura rei, non tamen quando est ex malitia hominis, sed in hoc casu malitia est, & iniustitia iniustoris, quod iniustat innocenti, ergo innocens iniustus non tenetur abstinere



ab occidendo inuaforem Regem, si aliter se tueri non potest. Certe probabilis est fecunda opinio: non enim videtur homo cogendus, cum innocens est, vt se permittat occidi ex obligatione ab eo, qui contra iustitiam inuadit eum, nisi magna in Republicam damna ex occisione illius orientur.

Octauo quaeritur, An dum quis illicite aliquid facit, & alius inuadit eum, vt occidat, licite possit eum inuaforem occidere, vt se defendat à nece? Verbi gratia deprehenditur quis in adulterio, & vult eum occidere maritus vxoris deprehensum in adulterio, An licite, vt se defendat à morte, possit occidere inuaforem? Sotus *lib. 5. quest. 1. art. 9.* ait, id esse licitum, quia reuera licet adulterando peccet, habet tamen ius seipsum defendendi ab inuafore, nam maritus priuatim eum occidere volens, peccat. Sic etiam Natar, *cap. 15. num. 7.* Idem dicendum de quocunque, qui illicite aggreditur opus aliquod sine animo occidendi, & postea ob opus illud inuaditur ab alio, & vt se defendat inualus à morte, occidit inuaforem: nõ enim si quis illicite facit aliquid, eo ipso perdit ius naturale se defendendi.

Nono quaeritur, An licitum sit occidere Iudicem per falsa testimonia damnantem ad mortem? Respondeo, quoties Iudex secundum allegata, & approbata, aut seruatõ ordine iuris damnat aliquem ad mortem, licet aliqui innocentes, & per falsa testimonia, non est licitum damnato ad mortem occidere Iudicem, quoniam cum tunc Iudex secundum allegata, & approbata, & seruatõ ordine iuris procedat, non est inualor iniquus, licet innocentem interimat. Similiter non est licitum Iudicis ministros occidere, nec similiter etiam testes, quia hoc esse non se tueri, sed vindicare. Item quia tunc aliter innocens defendere se debet, nimirum appellando, aut alijs rationibus, quibus ius vsõ solet. Si tamen Iudex, aut eius ministri, aut testes contra iustitiam inuaderent innocentem ad occidendum eum contra iustitiam, tunc licitum esse occidere. *Siluester. v. Bellum à num. 7. Sotus vbi supra.* Verbi gratia, si abique accusatore, actore, vel denunciatore, absque testibus, absque iudicibus, absque vlla infamia, vel probatione inuaderent innocentem.

Decimo quaeritur, An dum quis se defendit ab inuafore, licite intendat per se occisionem illius, an solum debeat intendere defensionem suam? Duæ sunt opiniones. Prima est asserentium quod solum licite potest intendere defensionem sui. Caietan. *2. quest. 61. art. 7. Turrecrem. cap. de Occidendis XXXIII. Quest. V. Abulens. super Matth. 5. quest. 46.* quod probare contendit Caietanus ex Augustino, & S. Thoma. Opinio secunda est asserentium, quod potest licite intendere per se mortem inuaforis. Sic Sotus, & Richardus, & Cordubensis locis supra allegatis.

Respondeo, quaestionem esse de nomine, si occisio alterius intendatur, vt medium necessarium ad sui defensionem, licite potest per se intendi, quoniam eodem iure quo finis est licitus, est medium licitum, requisitum necessario ad illum finem assequendum; & hoc est, quod ait opinio secunda. Si tamen per se primo intendatur, nimirum vt finis, in quo sistimus, & ad quem cetera diriguntur, tunc non est licitum per se intendere mortem inuaforis, quod ait Caietan. & Turrecrem. & Abulens. & in hoc vera est opinio eorum, quia cum mors inuaforis sit medium, & non bonum, non potest, vt finis intendi. Sed tamen ex fine alio, quo intendit inualus defensionem suæ vitæ, potest intendi, vt medium ordinatum, ad defensionem vitæ, & ita conciliantur duæ istæ opiniones.

Vndecimo quaeritur, An stante statuto, quo bannitus possit à quocunque impune occidi, ius habeat bannitus se defendendi? quod est quaerere, An si se defendendo occidat alium, peccet? Duæ sunt opiniones. Prima est asserentium, quod ius amittit se defendendi, & quod peccat, si occidit: quia perinde est ac si reus, & malefactor condemnatus ad mortem, se defenderet contra ministros iudi-

cis, & occideret eos. Deinde quia eo ipso quod potest licite offendi, & occidi, admittit ei ius tuendi se. Pro hac sententia ait Clarus *lib. 5. Receptarum sententiarum. §. Homicidium num. 68.* esse multos auctores. Opinio secunda est asserentium, quod non amittit ius se defendendi, & quod non peccat, quos citat Nellus in *Tract. de Bannitis par. 2. quest. 49.* quia bannitus non perdit ius naturale, & gentium. Item quia ius naturale non potest tolli per statutum humanum. Deinde quia adulter si occidit, vt se à morte defendat, non peccat. At Nellus, & alij, quos *supradicto in loco* citat, ait, quod bannitus si occidit se defendendo, peccat, quia non potest bellum esse iustum ex vtraque parte: at bannitus iuste potest occidi stante statuto quod impune occidatur, ergo ipse non licite occidit inuadentem se. Item quia moderamen inculpate tutelæ requirit, vt inualor sit iniustus, & faciat iniuriam inualso, at qui vult occidere bannitum stante statuto, non inuadit iniuste, nec facit iniuriam. Iulius Clarus *loco citato* ait pro vtraque sententia esse tot Auctores, vt discerni non possit vtra earum sit communis. Legge etiam Carerium in *Practica Criminali de Homicidio in causa excusam. §. homicid. in causa. 1. num. 8. §. h. sequenti num. 2.* In hac igitur re, dico primo vtramque opinionem probabilem esse propter Auctores, & rationes. Secundo, si statutum solum dicit, vt possit bannitus impune occidi, tunc licite potest se defendere, quia solum est facultas, vt occidens bannitum non debeat puniri. Tertio si statutum dicit simpliciter vt possit occidi; tunc videtur eo ipso tolli et facultas, & ius tuendi se; at hoc ius tolli potest, licet sit naturale ob bonum Reipublicæ commune.

Duodecimo quaeritur, An licitum sit præuenire eum, qui vult inuadere; & præueniendo occidere, antequam inuadat? Duæ sunt opiniones. Prima asserentium, id non esse licitum. Ita Sotus, Nauarrus, communis opinio. Secunda opinio est asserentium, id esse licitum. Sic Glossa, & alij, quos citat Couarruias *vbi supra.* Dico primo, si necessarium est præuenire, quia aliter vita propria defendi non potest, nisi præueniendo, tunc licitum est præuenire, quia est medium necessarium ad defensionem vitæ. Verbi gratia, si vxor sciat, se in lecto occidendam à suo viro ad id parato, & fugere non possit, nec vociferari, nec aliter se tueri, tunc licitum est ei virum occidere præueniendo. Item, si quis ab alio in domo aliqua obsideatur, & videat certo se aliter non euasurum nisi præueniat, licebit eum præueniendo occidere. Et hac ratione intelligi debet, quod dicitur à quibusdam; licitum esse occidere insidiantem. Dico secundo, si præuentio non est ita necessaria ad propria vitæ defensionem, quia antequam inuadatur quis, licet per tempus euadere, tunc non est licitum præuenire. Sic Sotus, Nauarrus, & communiter alij.

Decimotertio quaeritur, An post acceptam iniuriam, aut finitum congressum, verbi gratia, vulnerauit quis alium; & iam cessat à vulnerando, & fugiendo discedit, licitum sit percusso illum insequi, & vulnerare, vt iniuriam, quam accepit, repellat? Duæ sunt opiniones. Prima est asserentium, id esse licitum, quod est tueri honorem suum. Hanc videtur sequi Nauarrus *cap. 15. num. 4.* vbi ait, quia vulneratus fuisse, vel alapa, non posset aliter honorem suum tueri, nisi percutientem, fugientem, insequendo, & percutiendo, tunc esse licitum, quia hoc non est vicium, sed honorem suum defendere, quoniam adhuc dum aduersarius fugit, & percussus insequitur, durat congressus. Opinio secunda est asserentium, id esse prohibitum iure naturali: quia hoc non est se tueri, sed iniuriam acceptam vindicare, & vindicta Iudicis opera exercenda est, cum nemo sit in propria causa, quæ Iudex. Ita Sotus *loco citato*: cuius opinio probabilior est haud dubie.

Decimoquarto quaeritur, An licitum sit occidere aliquem pro defensione honoris proprii, verbi gratia, inuadit ali-

dit ali-



dit aliquis alium, & iniustus potest fuga eundem, an teneatur tunc fugiendo sibi consulere, etiam si fuga sit illi ignominiosa, an vero licet possit occidere iniustorem ad evitandam fugam dedecorosa sibi? Duae sunt opiniones. Prima asserentium, non esse licitum tunc occidere, sed iure civili permitti absque poena: quoniam iure, & ordine charitatis vita proximi corporalis praeferi debet nostro honori, & famae. Molinarius (vt ait Couarruias *supra citatus*) sentit id esse inhumanum, & Barbarum, non Christianis conueniens. Opinio secunda est asserentium, licitum esse iure naturali, & diuino tunc occidere: quia ordo charitatis exigit, vt praefertur honori proprio vita corporalis, quando hoc ex natura rei exigitur, non autem quando ex malitia alterius iniudentis inuultu est necessarium, quale est in in casu proposito. Et ita secunda opinio est probabilior. Sic Nauar. Sotus, Couarruias, Siluester, *ubi supra*, & alij, quos citat Couarruias *in supradicto loco*.

Nota tamen omnes conuenire in hoc, quod quando fuga esset periculosa, nimirum quia aduersarij a tergo instant, vel quando iniustus fiet audacior, vel quando facilius insequetur fugientem, non esse obligationem fugiendi, quia tunc occidere iniustorem, & non fugere esset seipsum tueri, quoniam fugere commode non potest tunc iniustus.

Decimoquinto quaeritur, An quilibet iniustus licet possit occidere iniudentem se, etiam cum liberum et illi fuga euadere? Respondeo, non esse licitum cuiuscunque, sed tunc, cum quis non potest occidere se defendendo, nisi fuga, & tamen fuga est illi valde de decorosa, vt contingere potest in viro illustri, vel nobili. Ac ita si iniustus sit Religiosus, vel Clericus, vel homo inferioris notae, & sortis, tunc cum his fuga non sit ignominiosa, si fugiendo euadere possint, tenentur fugere, & non occidere, alioqui non esset moderamine inculpata turba, si occiderent, & non fugiant. Ita Sotus, Couarruias *loci supra allegatis*, Nauar. *cap. 12. num. 3. & 4. Siluest. verb. Homicidium. 1. quest. 2. ex Abbate, & alij*.

Decimosexto quaeritur, An si iniustus percussit, verbi gratia alapa, vel fuste, vel verberet hominem alicuius notae, & honoris, ita vt ignominiosum sit illi alicuium se occidere iniustorem, ne alapa, vel fuste, vel verberet ledatur. Duae sunt opiniones. Prima asserentium, non licere occidere. Sic videtur sentire Maior *4. Distinct. 13. quest. 20* quia vita proximi pretiosior est nostro honore. Deinde, quia est inhumanum occidere alium, ne nos alapa, vel verberet, vel fuste percussat. Opinio secunda est asserentium, id esse licitum, nimirum quando alapa, vel verberet, vel fuste percussit, esset valde homini percussio de decorosa. Ita Sotus, Couarruias, Nauar. *loci supra citatis*. Certe hoc videtur probabiliter, cum illo modo suum honorem defendere non possit. Aliter enim ex malitia hominum honor innocenti passim tolli potest.

Decimoseptimo quaeritur, An si iniustus solum laedat verbis contumeliosis, & conuictis, verbi gratia, dicendo, tu mentiris, licitum sit occidere, vbi hoc verbum, mentiris, est valde ignominiosum? Dico non esse licitum, quoniam iniuriosum contumeliaz, aliter repelli possunt & tolerari apud homines.

Decimooctauo quaeritur, An puella pro tuenda sui corporis integritate, licet possit aggressorem occidere, quando aliter eam integritatem tuam non potest. Potest, quando nec clamando, vel compellendo alium non possit tueri se, quia tunc occidit iniustorem pro honore suo defendendo, nimirum pro virginitate sua defendenda, quae est pretiosior multis diuitijs. Siluest. *verb. Homicidium. 1. quest. 5. & Archidiac. Rainerus. Tabien. verb. Homicidium. quest. 7.*

Decimonono quaeritur, An licitum sit occidere iniustorem pro defendendis proprijs bonis? Duae sunt opiniones. Prima est asserentium, non esse licitum iure naturali: sed solum permitti impune iure humano, quoniam ordine

charitatis proximi vita corporalis praeferi debet bonis temporalibus nostris. Sic Accursius, Hugo, Fortunius, & alij, quos citat Nauar. *loco praedicto*, sic etiam Archidiaconus, & Panormitanus, quos citat Siluester *verb. Homicidium. 1. Quest. 4.* Sic etiam videtur sentire Tabien. *verb. Homicidium. quest. 7. & verb. Irregularitas 2. num. 25.* Opinio secunda est asserentium, id esse licitum, quia bona temporalia sunt bona ordinata, vt media ad conseruationem vitae. Ita Caietan. *Secunda secunda quest. 64. art. 7. Siluester. verb. Bellum. quest. 2. & verb. Excommunicatio. 6. §. 6. vers. 9. Maior in 4. Distinct. 13. art. 20. Couarruias, Nauar. loci superius allegatis, Sotus lib. 5. de Iustitia. quest. 1. art. 8.*

Dico primo in hac re: Quando bona temporalia ita fuerint necessaria, vt sine ipsis vita corporalis conseruari commode nequeat, tunc licet occidere iniustorem pro defensione rerum suarum, quia hoc est tueri vitam propriam, vt si arma detraherentur militi, vel homini transfuanti per latrones, & hostes, aut velles detraherentur tempore incipientis frigoris, vel nixis, aut tollerentur alij bona tempore extremae necessitatis: aut si quis mendicare deberet, aut aliter ignominiose viuere, aut si fur vel bona dimpsit, vel rapta alporter, & se armis defendat contra me. Et in hoc omnes conueniunt. Dico secundo, quando res, & bona non sunt tamen momenta, vt sine eis vita commode conseruari non possit, tunc tenentur non licet occidere: & in hoc vera est prima opinio, & ordo charitatis id postulat, vt vitam proximi seruetur eam paruo detrimento nostrarum rerum. Dico tertio absolute: pro defendendis rebus proprijs, quando sunt magni momenta, licitum est occidere iniustorem, quia bona sunt propter vitam: & licet vita proximi sit ordine charitatis praeferranda bonis temporalibus, hoc est verum, quando non praecedat ex malitia alicuius, alioqui forentur humanum iniustitia, & innocentes suis bonis spoliarentur. Item bella sunt licita, & tamen saepe sunt pro tuendis bonis temporalibus.

Vigesimo quaeritur, An sit licitum furem, qui bona mea rapuit, & secum deferens in equo meo fugit, sequi occidere? Siluester, *verb. excommunicatio. §. 6. vers. 1. sub. 1. ha. litur, & tandem ait, hoc esse licitum.* Sed Couarruias *ubi supra num. 6.* ait non esse licitum. Dico primo, si in aliquem locum se iam recepit, non licet occidere, quia tunc opera, & officio Iudicis bona sunt recuperanda. Secundo, si bona sunt mihi necessaria, vel ad vitam simpliciter, vel ad statum meum tuendum, dum adhuc ille fugit, licitum est occidere, quia hoc est tueri bona, & vitam, vel honorem, vel statum. Tertio, si bona non sunt magni momenta, tunc non licet occidere, vt dixi superius.

Vigesimoprimo quaeritur, An pro defensione alicuius maxime innocents licet iniustorem occidere? Respondeo, id esse licitum pro defensione Regis, Principis, & personae publicae cuiuscunque. Item pro defensione patris, matris, uxoris, fratris, filij, & cuiuscunque personae sanguine coniunctae: item etiam pro defensione Domini, item pro defensione cuiuscunque innocentis, etiam extranei: Siluester *verb. Bellum. 2. quest. 6. ex alijs.*

Vigesimosecundo quaeritur, An licitum sit iniustorem occidere pro rebus alicuius innocentis tuendis, nimirum pro defendendis rebus commodatis, vel depositis, item pro rebus amicorum, aut propinquorum, eos nimirum adiudando? Dico id esse licitum iuxta ea, quae tradidit Siluester. *verb. Bellum. 2. quest. 7.*

Vigesimotertio quaeritur, An incurrat irregularitatem, qui occidit cum moderamine inculpata turba iniustorem pro defensione suae personae, vel honoris, vel rerum suarum, vel pro defensione alterius? Dicitur inferius, cum agatur de poenis homicidij.

Vigesimoquarto quaeritur, An incurrat irregularitatem, qui occidit Clericum iniustorem pro defensione suae personae, vel honoris sui, vel rerum suarum, vel pro defensione alterius personae? Ad hanc questionem inferius respondebitur, cum de poenis homicidij agatur.



Vigesimo quinto quaeritur, An liceat Reipublica pro salute sui ipsius, tradere ciuem innocentem in manus hostis, à quo certo nouit interimendum? verbi gratia, infestat bello, & armis, aut obsidione premit hostis urbem aliquam, & dicit: Ego igni urbem exuram, nisi tradatur mihi talis ciuis, an sit licitum Reipublica, vt se ipsa liberet, ciuem innocentem tradere hosti, qui petit eum? Dux sunt opinionones: Prima asserentium, id posse fieri licite à Republica; quia hoc non est directe eum occidere sed tantum bonum commune tueri. Item quia Reipublica ius habet cogendi ciues ad periculum mortis subeundum pro bono communi seruando. Deinde, quia in casu praedicto ciuis ille postulatus ab hoste obligatur sese hosti committere, vt Reipublicam liberet; Postremo, quia si hostis brachium, vel manum peteret amputandam; alioqui minatur se caput amputaturum, teneretur homo ille brachium, vel manum tradere, vt caput, & seipsum totum liberet. Ergo similiter in casu praedicto. Opinio secunda est asserentium, id non esse licitum Reipublica, quia perinde est, ac si occideret innocentem Reipublica, ad quod ius non habet. Deinde quia in casu proposito mors innocentis solum est necessaria ad salutem Reipublica ex hostis malitia. Tum etiam, quia perinde est, ac si hostis dixisset; Occidite talem ciuem, alioqui ego vestram urbem igni exuram. Ita Sotus lib. 5. de Iustitia quest. 1. art. 7. Coraeben. lib. 5. s. Quaestio 4. quest. 37. Opusc. 2. in Ratione 13. At mihi probabilius videtur hoc esse licitum, nimirum tradere innocentem ciuem Tyranno, non quidem vt interimitur ab eo, hoc enim est illicitum, sed vt Reipublica se ipsam tueatur, etiam si sciat innocentem à Tyranno occidendum: quia hoc quod est tradere innocentem Tyranno, non est directe, & per se occidere illum, aut tradere vt occidatur, sed est res ex sua natura indifferens; qua Tyrannus, si vult, potest bene vti; facere autem id, quod sua natura est indifferens ad euitandum omne damnum, non est illicitum, Deinde Reipublica in hoc vtiur solum malitia alterius, ad se tuendum. Item si Tyrannus peteret sic: Illum occidite, aut illum mihi tradite, vt ego occidam, tunc non esset licitum aut occidere, aut tradere, quia petit Tyrannus rem ex suo obiecto malam: at quando petit solum, vt Reipublica illum ei tradat, petit rem ex se indifferentem, qua bene, & malè vti Tyrannus potest, si vult. Similiter Reipublica ius habet in praedicto casu cogendi ciuem illum, vt se tradat Tyranno.

no.

## De Nece Malefactorum.

## CAPVT II.

**N**OTANDVM Reipublicam habere ius occidendi malefactores, quia bonum commune alioqui feruari in pace non posset.

Primo quaeritur, An liceat priuato homini, siue ciui interficere Tyrannum Principem? Respondeo, primo, si solum est Tyrannus in administratione Reipublica; verbi gratia, quia in gubernando Reipublicam, quaerit suum commodum, & non aliorum bonum, tunc non licet eum occidere. Secundo, si Tyrannicè regnat, aut dominatur, iustum tamen dominij titulum, vel regij habet, non licet occidere. Tertio, si est Tyrannus in acquirendo titulum Principatus, vel Dominij, vel Regni, ita vt nunquam Reipublica consentiat, aut consenserit, tunc licitum est occidere, dummodo non sit recursus ad supremum Dominum; quia tunc occiditur, vt hostis, aut iniator Reipublica; cum tyrannicè & iniuste intadat Dominium Reipublica. Siluest. *verb. Tyrannus*, Tabien. *eodem verbo. num. 2.* S. Thomas de Regimine Principum lib. 1. cap. 8. Sotus lib. 5. de Iustitia quest. 1. art. 3.

Secundo quaeritur, An cum à Republica, vel Principe conceditur facultas occidendi bannitum, vel diffidatum, vel publicè proscriptum, licitum sit priuato homini occidere eum? Respondeo, Primo vsum concedendi huiusmodi facultatem esse licitum, quando quis est bannitus publica sententia Principis, siue Reipublica; & hæc facultas concedi solet contra publicos latrones, vel proditores Patria; vel contra coniuratos in Reipublicam, & contra alios, qui ob certa criminum genera sunt publicè banniti. Secundo, licitum est priuato ciui occidere bannitum, quia tunc quilibet constituitur minister Iustitiæ. Siluest. *verb. Assassinus quest. 3.* ex Angelo, & Geminiano. *per verbo. Homicidium 1. quest. 2.* Tabien. *verb. Bannitus num. 1.* ex Bartolo, & Andrea. Sic Angelus *verb. Assassinus num. 2. s. Homicidium 1. num. 6.* Sic Couarruias in epitome in 4. *quest. par. 2. s. 7. num. 13.* ex alijs, ex Alberico, Iafone, Felino, Clarus lib. 5. *Receptar. sententiar. s. Homicidium. num. 4.* Et ratio huius est, ne crimina maneant impunita. Deinde, vt malefactores à delictis deterreantur. Postremo, vt Reipublica in pace se possit tueri. Aliqui tamen, quos citat Neilus *Tract. de Bannitis. par. 1. quest. 48.* aiunt, non esse licitum.

Tertio quaeritur, An licitum sit occidere bannitum publicè condemnatum, quando est extra territorium, & iurisdictionem Principis, vel Reipublica; qua condemnauit eum vt bannitum? Respondeo, id non esse licitum, quia est extra iurisdictionem eius. Deinde quia sit iniuria, & damnum alteri Reipublica; in cuius territorio commoratur bannitus. Siluest. *verb. Homicidium. 1. quest. 5.* ex Anton. nisi fiat ex licentia expressa, vel tacita, vel praesumpta alterius Reipublica; vel Principis.

Quarto quaeritur, An sit licitus vsus, & statutum, quo praemium promittitur occidenti bannitum, nimirum vt quicumque ex bannitis alium bannitum occiderit, vite libertate, & seruitute donetur; vel vt quicumque alius bannitum occiderit; recipiat certam pecuniae summam, vel condonet penam vni, vel duobus bannitis, quos ipse maluerit? Respondeo, id esse licitum; quia aliquando id expedit communi Reipublica; bono, vt banniti, qui Reipublica; sunt hostes, facilius, & commodius è medio tollantur. Sotus tamen lib. 3. *Iustitia quest. 1. art. 3.* non admodum approbat hunc morem, & vsum.

Dubium, an stante praedicto statuto, licitum sit occidere bannitum proditoricè, vel per insidias? Clarus *loco citato ait*, esse varias sententias Doctorum. Dico id esse licitum, ob commune Reipublica; bonum.

Quinto quaeritur, An sit licitus vsus, quo facultas conceditur filijs, & fratribus occidendi interfectorem patris,



aut fratris? Respondeo esse licitum aliquando, quando conceditur à Republica, vel Principe; non tamen cum conceditur ab alijs inferioribus Magistratibus, Sotus lib. 3. de Iustitia. quæst. 1. art. 2.

Sexto queritur, An licitum sit Republicæ, vel Principi, ante condemnationem criminis, concedere facultatem cuicumque occidendi malefactorem? Respondeo non esse licitum; quia est contra ius naturale, ut sententia feratur contra inauditam partem, & inaudita causa. Sotus lib. 3. q. 1. art. 3. Quid sit dicendum de occidentibus per assassinos, dicemus inferius suo loco. Ibi lege.

Septimo queritur, An licitum sit statutum, quo conceditur facultas occidendi malefactorem, eo ipso quod notorie incidit in aliquod crimen certum, ita ut facultas sit occidendi sine vlla alia sententia criminis? Dux sunt opiniones; Prima asserentium, quod sit licitum. Secunda opinio est asserentium non esse licitum; & mihi videtur probabilior.

Octavo queritur, An licitum sit marito, vel patri occidere adulterum deprehensum in adulterio cum filia, vel vxore, aut adulteram filiam; vel vxorem in adulterio deprehensam? Quidam aiunt esse licitum; quia est occidere iniustum pro tuendo honore suo, vel vxoris, vel filia. Clarus loco citato num. 44. Alij aiunt esse licitum iure naturali, sed esse prohibitum iure canonico. Sed communis est opinio sententia, esse peccatum; non solum quia iure canonico prohibitum, sed etiam quia est contra ius naturale, & diuinum; & colligitur ex cap. interfectores, & cap. inter hæc 33. quæst. 2. Glossa ibid. & Sotus lib. 3. de Iustitia. quæst. 1. art. 3. & 4. dist. 37. q. 1. art. 3. Couar. in Epitome num. 4. par. 2. cap. 17. num. 18. vbi late probat hoc, & citat Abbatem Anton. Felinum.

Nono queritur, An licitum sit viro occidere vxorem in Iudicio condemnatam, & sibi à Iudice traditam, ut in eam exerceat poenam, quam voluerit? Dux sunt opiniones; Prima est asserentium, non esse licitum eam occidere; quia non traditur, ut occidat eam ex præcepto, sed solum permittitur illi, ut occidat eam. Deinde id probant ex S. Thoma in 4. dist. 37. quæst. 2. ad 2. vbi ait, quod non traditur ei, ut occidat ex præcepto, alioqui enim non peccaret occidendo. Item quia in iure canonico supra allegato dicitur: Vir occidens est homicida, quamuis occidat secundum leges civiles. Opinio secunda est asserentium, esse licitum. Sic Sotus vbi supra; atque hæc opinio est vterque, quia licet maritus non constituitur minister Iustitiæ necessarius, constituitur tamen voluntarius minister, ut occidat eam, si vult. Sic Couar. vbi supra, Medina de Restitut. q. 3. casu. 4.

Decimo queritur, An vxor sit condemnata ius habeat se tuendi, ita ut si occidat virum, se defendendo à morte, peccet? Videtur quod non habet ius se defendendi contra maritum, quia iuste est condemnata, ut à viro occidatur. Sic etiam non habet reus condemnatus ad mortem, ius tuendi se contra Iustitiæ ministros.

Vndecimo queritur, An Iudici sit licitum occidere eum, quem certò nouit esse innocentem, sed secundum allegata, & probata conuictum reum mortis? Hanc questionem tractat Corduben. in suarum Questionum. q. 37. & Couar. lib. 1. Varia resolut. cap. 1. num. 3.

Dux sunt opiniones: vna est asserentium, id non esse licitum. Hoc sentiunt Lyranus Exod. 23. Hostien. Andreas, Imola, Cardinalis, quos citat Couar. Hugo, Calderinus, Abbas verb. Tyrannus, Angelus, Rosella, Supplementum, Imola, Adrianus, quos citat Sotus lib. 3. de Iustitia quæst. 4. art. 2. hi omnes aiunt non esse licitum; quia in iure canonico præcipitur Iudici, ut sententiam non ferat contra conscientiam: Item, quia secundum leges, & iura esse iudicandum, & lex diuina iubet, ut innocens defendatur: Item, quia alioqui si omnes consentirent aliqui in propositionem esse hæreticam, quam ego scio esse Catholicam, licitum mihi esset iudicare eam esse hæreticam, quod non est asserendum. Tum etiam, quia secundum allegata, & probata est iudi-

candum, quia constat euidenter ea esse falsa; hic autem Iudex certò, & euidenter nouit rei, qui accusatur, innocentiam. Altera opinio est S. Thomæ asserentis esse licitum 2. 2. quæst. 67. art. 2. & quæst. 64. art. 3. ad 3. sic Aleusis, Tarantus, Palud. Bartolus, Andreas, quos citat Sotus loco allegato. Sic Caietan. & Siluester verb. Iudex 2. §. 5. Hæc sententia est probabilior, adhibitis moderationibus, quæ sequuntur.

Duodecimo queritur, An prædictus Iudex in causa proposita teneatur officium suum deponere, ne innocentem condemnet contra prauitatem scientiam? Dux sunt opiniones, prima asserentium, eum ad id obligari. Ita Siluester vbi supra, verb. Iudex 2. quæst. 5. sic etiam Aleusis par. 3. q. 4. membr. 6. art. 5. Secunda opinio est negantium, eum teneari ad id faciendum. Sic Sotus loco citato. Dicendum est, si commode absque suo detrimento potest deponere, nimirum famæ, vel honoris, vel bonorum suorum, obligatur deponere: Si autem commode non potest deponere, non obligatur; & ratio huius est, quia debet tueri vitam innocentis, quandoque commode potest.

Decimotertio queritur, An in prædicto casu Iudex si superiorem Iudicem habeat, teneatur innocentis causam remittere ad superiorem Iudicem? Prima asserentium, eum obligari ad illud, quando potest commode. Siluest. vbi supra, & sic etiam Aleusis supra citatus. Secunda opinio est asserentium, eum ad id minime obligari. Sotus supra dicto loco. Dicendum est, si commode potest absque suo detrimento, ad id obligatur; quia teneatur omni modo, quo potest commode, innocentem liberare. Atque ita sentit aperte S. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 6. ad 3. Dubitatur, an in istis casibus, in quibus iste Iudex vel ad superiorem Iudicem remittit, vel deposito officio alium substituit, teneatur apud ipsos testificari, & declarare innocentiam rei? Respondeo ad id teneri, quia omni modo, quo potest, commode teneatur procurare salutem, & vitam innocentis.

Decimoquarto queritur, An teneatur in prædicto casu Iudex, si absque scandalo potest, procurare, ut fugiat ex carcere, vel alio modo euadat innocentem, ne condemnetur? Respondeo ad id obligari. Ita Sotus vbi supra, si commode fieri potest. Idem etiam fatetur Caietanus 2. 2. 2. quæst. 64. art. 6.

Decimoquinto queritur, An prædictus Iudex in prædicto casu teneatur iurare dictum reum esse innocentem, si iuramentum tale sit illi profuturum? nam videtur inferre damnum accusatori, & testibus. Respondo, ad id obligari eum probabiliter videri tale iuramentum esse profuturum. Sic Sotus, & Caietanus vbi supra; & per accidens tantum sequitur damnum accusatori, & testibus, & sibi imputent, siquidem innocentem accusauerunt, sic enim illi periculo se exposuerunt innocentem accusando.

Decimosexto queritur, An si prædictus Iudex in præfato casu fuerit supremus iudex, qualis est Papa, vel Rex, vel alius Princeps superiorem non habens, teneatur dictum innocentem absolueret? Dux sunt opiniones, prima asserentium, non teneri ad istud, sed posse occidere secundum allegata, & probata. Ita Sotus iam dicto loco. Secunda opinio est, obligari ad istud, quia cum iudex sit supremus, non facit inunam legibus, aut alicui iudici, aut testibus, si innocentem absoluat. Certè, si supremus est, & commode potest absolueret, teneatur absolueret, ne innocens condemnentur, quod potest facere curando, ut innocens fugiat, & liber euadat e carcere. Item potest absolueret; quia cum sit supremus Princeps, potest poenam debitam secundum leges condonare.



## De Homicidio sui ipsius.

## CAPVT III.

**P**rimo dubitatur, An licitum sit alicui seipsum occidere in aliquo euentu? Respondeo, nunquam licitum esse, seipsum occidere in aliquo euentu, neque ob vitandum peccatum, neque ob defendendam pudicitiam, neque ob vitanda mala huius vite, neque ob fidem, vel religionem, vel virtutem tuendam, neque ob salutem aliorum. Communis est sententia omnium, & sic docet Augustinus *lib. 1. de Civitate. cap. 16.*

Notandum, in sacris litteris legi, aliquos viros laudabiliter se occidisse. Intelligitur, vel laudabiliter secundum vulgi opinionem, vel laudabiliter, quia non se occidere voluerunt, sed fortiter & strenue pugnando pro bono communi, se morti exposuerunt quod est licitum, vel laudabiliter, quia id fecerunt ex instinctu, & motu speciali Dei: Item in Historiis, aliquae sanctae feminae seipsas occidisse leguntur, ut colligitur ex Ambrosio *lib. 3. de Virginitate*, & Eusebio *lib. 8. cap. 12. & 13.* & Augustino *ubi supra*. Sed id fecerunt ex peculiari instinctu Dei, vel forte animo pro fide, & religione pugnando, se se morti periculis obiecerunt. Deinde notandum, caute esse legendum Hieronymum, qui in *Iona cap. 1. ait*, non esse licitum seipsum occidere nisi pro castitate tuenda.

Secundo quaeritur, An sit licitum alicui, vitam suam corporalem pro amico ponere? Duae sunt opiniones, Prima asserentium, non esse licitum, quia ordine charitatis vita nostra est praefenda vitae corporali proximi. Item quia Augustinus in *lib. de Mendacio ad Consentium cap. 6. ait*, aperte esse contra ordinem charitatis, si quis vitam propriam pro vita alterius, periculo mortis exponat. Item, quia amicitia, recte Aristotele, non est virtus: Ergo ponere vitam pro amico, non est ponere eam pro honestate, & virtute. Secunda opinio est asserentium, esse licitum. Ita Sorus *lib. 3. de Iustitia. q. 1. art. 6.* Hae opinio est probabilior, quia Christus *Ioan. 16. ait*: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Item, quia licet amicitia non sit virtus, est tamen res laudabilis, & in virtute fundata. Deinde quia vita nostra aliquando pendet ex conseruatione amici. Præterea, licet Augustinus dicat, eum, qui vitam propriam ponit pro amico, magis diligere alium, quam seipsum, non tamen ait hoc esse illicitum, aut si dicit esse contra ordinem charitatis, intelligit de eo, qui vanè, & temerè, vitam propriam mortis periculo exponit pro alio. Tunc etiam, quia non est contra ordinem charitatis ponere vitam corporis pro amico: nam ordo charitatis exigit, ut bona gratia, & virtutes prius velimus nobis, quam proximo: non tamen exigit, ut cetera bona, nimirum, vel vitae corporalis, vel finis, vel honoris, vel bonorum temporalium, prius velimus nobis, quam alteri proximo.

Tertio quaeritur, An liceat vitam ponere pro alio proximo extraneo? Respondeo esse licitum, quia licitum est vitam ponere pro defendendo proximo à morte, vel pro eo conseruando, ut pereat fame, vel frigore, vel igne, vel aquis obrutus.

Quarto quaeritur, An aliquando sit obligatio ponendi vitam pro alio? Respondeo esse aliquando obligationem, nimirum pro Patria, pro Rege, pro Principe, pro populo, peste, vel morbo, vel fame laboranti, vel bello pressio. Item, quando vita spiritualis alterius periculum incurrit, vel in fide, vel moribus, vel aliis necessariis ad salutem eternam, v. g. infans moritur sine baptismo, si ego illum non baptizo: & tamen si baptizo, non me potero tueri ab infante, tunc teneor baptizare eum periculo vite meae. Syluester *verb. Bellum. 2. q. 4. Maior in 4. Dist. 5. qu. 2.* Item, si non moneo populum, inficitur hæresis: & tamen si moneo, periculum mortis incurram illatum ab Hæreticis, teneor moneo. Item, si corripo adulteram, abstinebit ab adulterio, & resipiscet: & tamen si moneo eam, periculum incur-

ram mortis illatum ab adultero, teneor moneo eam, si morti vicina est. Item, si multi fidei & religionis periculum incurunt, teneor moneo eos, etiam si tyrannus mihi mortem minetur, quia vita spiritualis proximi, & bonum commune ordine charitatis praeferrî debet vitæ corporali propriae, & bono priuato.

Quinto quaeritur, An in naufragio, vel fame licitum sit mihi habenti tabulam, vel panem vitae necessarium dare alteri ne pereat, similiter in bello equum, quem habet, alteri dare ut fugiat, cum vitæ suæ periculo: Item in iuncte per media frigora, vel niues vellem quam habeo, alteri potrigere? Duae sunt opiniones, Prima asserentium, non esse licitum hoc factum, quia est seipsum interficere: Sic videtur sentire Sorus *lib. 3. de Iustitia. q. 1. art. 6.* Secunda opinio est asserentium, id esse licitum. Ita videtur sentire Cordubensis *lib. 1. Quæstionarij. q. 38.* In hac re dico, hoc secundum esse probabile, quia id non est directè se occidere, sed non tueri se cum possit: nam si esset se directè occidere, nunquam esset licitum id facere pro alio: at opinio prima factum id esse licitum pro Rege, pro Principe, pro Duce, aut alia persona maxime vtili Republicæ, ergo reuera non est directè se occidere, sed solum non tueri se cum possit: at non tueri nos cum possimus, licitum est nobis, quando id fit propter bonum amici, si quidem etiam pro rebus nostris conseruandis aliquando vitam periculo ponimus.

Sexto quaeritur, An si quis iuste sit condemnatus, ut fame moriatur, licitum sit illi cibum sibi ministratum, non edere, an verò teneatur edere? Duae sunt opiniones, Vna asserentium, quod teneatur edere, quia alioqui si non edat, seipsum occidit, quod non est licitum. Sic Caietanus *2. 2. qu. 69. artic. 4. Couarr. lib. 1. Variarum resolut. cap. 2. num. 10.* & videtur ita sentire S. Thomas *2. 2. quæst. 69. artic. 4. ad secundum*, & Cordubensis *lib. 1. sui Quæstionarij. quæst. 30.* & Castrensis *lib. 2. de lege poenæ. cap. 8.* Altera opinio est asserentium, id esse licitum. Ita Sorus *lib. 3. de Iustitia. qu. 6. art. 4. Maior in 4. Dist. 15. q. 22. Angelus item, verb. fugere. num. 1. in fine.*

In hac re utrumque est probabile. Sed mihi videtur secunda opinio probabilior, quia damnatus potest licite sustinere penam, & pati sententiam iustam, quia damnatus est: & quando Sanctus Thomas ait, si non edit, seipsum occidit, loquitur de eo, qui non edit absque vlla bona ratione, & sine. Sed iste abstinet ab esu ob finem bonum, nimirum, ut sententiam iustam in se latam patiat. Vel reuera S. Thomas fuit in sententia opposita, ut eum Caietanus exphcat.

Septimo quaeritur, An quando quis damnatus est iuste ad mortem, teneatur fugere ex carcere, cum commodè & facile potest fugere absque vlla vi, & detrimento alterius, vel carceris. Duae sunt opiniones: Prima asserentium, quod teneatur tunc fugere, quia alioqui si non fugiat, seipsum occidit. Sic Sanctus Thomas videtur sentire *2. 2. quæst. 64. artic. 4. ad secundum*, licet non clarè dicat, ut statim dicimus. Secunda opinio est asserentium, quod non teneatur fugere, sed potest in carcere remanere, ut iustam sententiam perierat. Ita Sanctus Thomas *2. 2. quæst. 65. artic. 4. ad secundum*. Caietanus *ibidem*. Couarr. Cordubensis. Sorus Maior *supra citat*. Sic Angelus *verb. Fugere. num. 1.* Syluester *eod. verb. num. 2.* ubi ait, uterque Sanctum Thomam in opposita sententia fuisse. Hæc opinio est probabilior, quia non fugere, cum possit, non est directè se occidere, sed non tueri se, at hoc secundum potest, cum desistat tuendo se ob finem aliquem virtutis. Deinde respondeo, pro bono fidei, & religionis licitum esse Martyri non fugere ex carcere, cum possit. Hoc certum est apud omnes. Tertio, si quis iniuste est damnatus ad mortem, siue in iudicio, qui absque ordine iuris eum condemnat, siue in iudicio testium, cum falsis testimonij casumiantium, tunc non est licitum permanere in carcere, quando potest fugere facile, & commodè, quia tunc ob nullum finem bonum desistat se tuendo, cum possit. In hoc etiam omnes conueniunt, Maior, Sorus, Cordubensis.

Octauo quaeritur, An dimisso à carcere data fide, vel

præ-



præficio iuramento de redeundo ad carcerem, licitum fit redire ad carcerem cetero scienti esse se condemnandum ad mortem? Hoc dubium tractat Couarru, *l. lib. 2. varia. resolu. cap. 2. num. 8. lege Syluestrum verb. iuramentum, 4. q. 26.* Sunt duæ opiniones: Prima asserentium, esse licitum redire, siue sit damnatus ad mortem iustè, siue iniustè. Sic Caietanus *2. 2. q. 89. ar. 7. ad quartum*, & probat, quia licitum est sustinere mortem siue iustè, siue iniustè illatam. Sic etiam Romanus *in l. stipulationis. ff. de verbo. oblig.* Opinio secunda tenet, non esse licitum redire. Glossa *in Clem. Pastoralis, de sent. & re iudic.* & sic communiter sequuntur Glossam, Abbas, Andreas, Hipolytus, Curtius, Ancharan. quos citat, & sequitur Couarruius loco citato. Sic Maior *in 4. Dist. 15. q. 22. Syluester verbo iuramentum. 4. q. 24. & verb. accusatus qu. ult. Angelus verb. iuramentum s. num. 27. Tabien. iurare qu. 19. dubit. 3. Nauar. cap. 12. nu. 18. Manual. Ratio huius est, quia quilibet tenetur suam vitam tueri, & conseruare.*

In hac re dico, primò si est innocens, & contra iustitiam condemnandus est ad mortem, nimirum, vel à Tyranno, vel priuato homine, vel iudice non competenti, vel non procedente secundum ordinem iuris, non licet redire nisi ob vitandum scandalum, vel detrimentum boni publici, quale est bonum fidei, vel religionis Christianæ. Secundò: Si iustè quis est condemnatus ad mortem, vel est condemnatus secundum allegata, & probata conuictus, licet aliqui innocens, licitum est redire, immò ratione iuramenti præfiri de redeundo, obligatur redire, quia hoc non est seipsum occidere, sed patienter mortis sententiam iustam sustinere, & pati. Sic Couarru. ex Adriano, Maiore, Driedone, & ita Sylu. & communis opinio.

Nonò queritur, An si quis condemnatur, vt ipse sibi venenum ad bibendum, vel edendum ministrat: Vel vt sibi venam aperiat ad emissionem sanguinis, aut linguam, aut manum amputet, licitum fit parere huic sententiæ, & id præstare per seipsum? Dico id non esse licitum, quia hoc esset cooperari ad sui ipsius necem. Deinde quia hæc sententia non est iustam perinde esset, ac si quis condemnaretur, vt ipse se ipsum occideret, potest tamen iustè condemnari, vt patibuli scalam ascendat, os aperiat ad fumentum venentis; os, aut linguam præbeat, aut manum, vel brachium ministris iudicis, vt ab eo amputetur: quia hoc non est cooperari ad sui mortem: nam istæ sunt actiones, quas reus condemnatus præstare debet obediendo, vt iudicis sententia executioni mandetur. Ita Sotus, & Couarruius *locis supra citatis.*

Decimò queritur, An si condemnatur, vt intret ignem, vel flumen, vel tormentum aliud lethiferum, vel vt bibat, aut edat venenum, sibi ab alio ministratum: licitum fit huic sententiæ parere? Respondeo, esse licitum. Ita Sotus *suprà. Victoria Relect. de Homicid. Concl. 1. cap. 8. Cordub. libr. 1. Questionary. q. 36.*

Vndecimò queritur, An licitum sit, non vt tibiis delicatioribus, vel salubrioribus; non vt medicinis necessariis ad vitam tuendam, non vt remediis ad vitam, quando medicina, vel remedia talia sunt, vt non nisi magno pretio, vel magno labore & operâ consent, v. g. si locus, vel habitatio est mutanda, sed magno labore; si medicina est emenda, sed magna pecunie summa? Respondeo, id esse licitum, quia hoc non est decidere seipsum directè, & nemo obligatur suam vitam conseruare, per media magno labore, & pretio indigentia. Sotus, Couarruius, Cordub. Maior, Victoria *locis iam supra citatis. Adrianus Quodlib. 1. ar. 3. ad 6. Gerson. in Tract. de Abstinentia Carib. Maior in 4. dist. 38. q. 24.*

Duodecimò queritur, An quando ad vitæ conseruationem consilio medici est necessaria cruris, vel brachij amputatio magno cum labore, & dolore futura, teneatur homo consilio medici parere, & tantum dolorem subire, vt totum corpus conseruet, nè pereat? Respondeo ex prædictis, eum ad id minimè obligari, quia non tenetur vitam suam tueri per media, quæ tantum dolorem, & cruciatum

sint partura, induentia spasmus, & mortis periculum.

Decimotertio queritur, An licitum sit ieiunium, vigiliis, & aliis emacerationibus carnem ita domare, vt vita breuius, & citius absumatur? Respondeo quantum colligi potest ex Auctoribus prædictis, primò quidem directè, & per se vitam breuius, aut citius absumere, non est licitum: nam hoc esset seipsum occidere. Secundò prædictæ corporis asperitates non sunt assumendæ eâ intentione per se, vt vita citius & breuius finiatur. Tertio: prædictæ corporis macerationes licitæ sunt, & sanctè assumuntur, quando fiunt eo animo, vt ratio spiritui pareat, & rectè rationi appetitus sensitiuus obediat: Item, quando fiunt in cultum, obsequium, & honorem Dei: Item ad satisfaciendum pro peccatis, ad virtutis opus exercendum, ad carnis tentationes, & insultus demouendos, licet per accidens inde sequatur citius mors. Nam homo non tenetur vt diutius vitare, à ieiuniis, vigiliis, & aliis corporis laboribus abstinere, immo potius obligatur virtutum opera exercere, inter quæ sunt opera penitentiae, temperantiæ, castitatis, & fortitudinis, quibus sæpe se exponit quis periculo mortis.

Decimoquarto queritur, An licita sit constitutio humana, qua etiam in morbo graui, & periculo interdictur alicui ceteri Religiosorum esus carnis? Dux sunt opiniones. Prima asserentium, non esse licitum. Sic Martinus *tractat. de Temperantia q. 4. de Ieiuniis*, quia est contra ius naturale, quo quisque tenetur suam vitam tueri, ergo si consilio medici esus carnis necessarius est ad vitam, illicitum est non vt carne, cuius esus vitam tuebitur. Item quia illicitum est votum, aut iuramentum, aut obedientia, si obliget contra ius charitatis in proximum, quando obligat ad succurrendum proximo extremè laboranti. v. g. licet Religiosus iubeatur, nè domo exeat, si tamen est necesse exire ad liberandum proximum à periculo ignis, incendij, aut nè occidatur à fera bellua, aut nè se ex animi perturbatione suspenderit, licitum erit exire. Ergo illicita est constitutio humana, obligans contra ius tuendi se. Illicita est lex humana, qua denegatur alimenta necessaria, & debita ad vitam. v. g. Si concedatur patri denegare alimenta necessaria ad vitam, aut si concedatur filio denegare alimenta necessaria ad vitam patris, esus carnis aliquando consilio medici est alimentum necessarium ad vitam ægroti. Ergo lex humana non habet obligandi vim.

Secunda opinio est asserentium, eam constitutionem esse licitam, Gerson *Tract. de Temperant. Carib. Maior in 4. Dist. 28. quest. 24. Victor in Relect. de Homicid.* quoniam aliqui damnarentur Carthusiense constituto, à carnis abstinencia: quod non est asserendum.

In hac re dico primò, prædictam constitutionem esse licitam, quando fit ob bonum commune Religionis, & virtutis. Nam licitum est non vt carnis esu, aut vini potu ob domandam carnis libidinem. Paula femina Romana, quam mitificè laudat Hieronymus, noluit vinum bibere graui etiam morbo afflicta, & sanctus Martinus noluit iacere supinus, quamuis moneretur, nè ita iaceret causa valetudinis. Secundò lata prædictâ constitutione in aliquo Religiosorum ordine, licitum est Religiosus illius ordinis in morbo constitutus, abstinere ab esu carnis, quia sic abstinere ab esu carnis, non est directè se occidere, sed solum est non tueri vitam propriam: at licitum est in multis rerum euentibus non tueri vitam propriam ob aliquod virtutis opus, aut propter aliquod commune bonum. Sic diximus, licitum esse, panem vitæ necessarium alteri extremè laboranti porrigere, vitam morti exponere pro amico: ergo licitum est non vt carnis esu, ob commune Religionis, & virtutis bonum retinendum, nimirum nè alij nostro exemplo carnis esu passim, & absque certa necessitate vtantur. Item nè Religionis constitutio, tam sancta videlicet, & pia, absque vrgenti causa violetur ab aliis.

Tertio: stante prædictâ constitutione, si Religiosus illius ordinis esset solus alicubi, & fame periret, nisi carne vesceretur, quam habet apud se, vel commode potest habere,



here, tunc tenetur veli caribus, quia in predicto casu vim obligandi non habet constitutio ordinis. Hæc colliguntur ex Maiore, Gersono, Victoria, *vbi supra*.

Decimoquinto queritur, An iniustus ab alio iniuste, licite sinat se occidi ab eo, ne occidat illum, & pereat; an verò teneatur se tueri, occidendo iniustorem, cum possit quod est quærere, an permittendo se occidi ab iniustore, peccet; & an permittere se occidi, sit seipsum occidere? Respondeo, licite talem hominem se iniustum posse permittere, se occidi ab iniustore, præsertim si iniustor sit persona Republicæ utilis. Item quando iniustus, & iniustor sunt privati homines; quoniam licitum est vitam ponere pro alio proximo. Item quia licitum est panem vite necellarium (vt supra dixi) alteri extorere laboranti porrigere. Item quia sic sentiunt Victoria *vbi supra*, & Syluester *verb. Bellum. 2. q. 3. item Sotus lib. 1. de Iustitia. quest. 1. ar. 8. Corduben. lib. 1. q. 38.*

Decimosecundo queritur, An licitum sit infirmos inuisere cum periculo vite propriæ. Item an licitum sit in Civitate permanere tempore pestis, nauigare tempore periculoso, militare, & pugnare in bello iusto, sed periculosissimo? Respondeo, hæc omnia esse licita, quia sunt, vel pro amico, vel proximo, vel pro bono communi Republicæ, vel familie. Victoria *suprà citato loco. num. 26. Corduben. lib. 1. q. 38. Caiet. 2. 2. q. 69. art. 3. Op. 4.*

Decimotertio queritur, An cum quis vt vitam tueatur propriam, fugit turum, vel aliam belluam feram, & truculentam, aut hostem iniudentem se, se ex alto loco præcipit, peccet sese euidenti vite periculo exponens, & obiciens? Respondeo, tunc non peccat, quando id facit, vt se liberet a periculo mortis impendentis, vel probabiliter credit se easurum salutem, etiam si se præcipitet. Corduben. Covarruias, & alij *locis superius allegatis.*

Decimoquarto queritur, quando quis vt euitet mortem propriam, fugit in equo, an licite conculeet puerum iacentem in via: Item cum quis vt mortem, vel mortificationem actum, vel scitum euitet, alium in præcipitum, vel periculum mortiferum impellit, sit reus homicidij alterius? Respondeo, cum sciam esse homicidij, si aliter quam conculeando puerum, vel in præcipitum alterum impellendo commode potuit euadere, quia non sunt inquit Apostolus *Roman. 3.* facienda mala, vt veniant bona. Deinde quia non est tuenda vita propria, cum detrimento tertij innocentis. Corduben. *vbi supra*. Secundo: si aliter euadere non potuit, & non præiudicat mortem tertij innocentis, aut si præiudicat periculum tertij innocentis, sed non putat esse magnum periculum illius, aut putat bonâ fide se euiturum illud periculum, & tamen res non ita successerunt, non est reus homicidij, licet fuerit secutum. Syluest. *verb. Homicidium. 2. q. 26. Corduben. lib. 1. Questionum. qu. 38. dub. 3.*

Decimonono queritur, An licitum sit alicui venenum sibi inique ab alio paratum, aut propinatum conuertere arte, vel industria alicui illicita in anctorem veneni mortiferi, sciendo eum periculum mortis incursum? Respondeo, si aliter mortem propriam euitare non potest, licitum est, quia licet iniustorem occidere. Deinde quia licitum esse diximus, insidiantem vite innocentis occidere, quando aliter insidiam euitari nequeunt. Corduben. *vbi supra. dub. 2.*

Vigesimo queritur, An in naufragio, cum duo verbi gratia Petrus, & Paulus, sunt in nauicula, & ambo simul seruari non possunt, vnus tamen potest, si solus manserit in nauicula, tunc licitum sit vtrique alterum ex nauicula expellere, vt seipsum seruet, & ne ambo pereant? Maior *in 4. dist. 15. quest. 22. art. 2. ar. sortem esse inter eos mittendam. Deinde, si fors non mittitur, tunc esse vtrique expellendi alterum è nauicula, vt seipsum seruet, quia hoc non est alterum occidere, aut mortis periculo exponere, sed se tueri. Sed difficile est hoc. Primo, quia alicui bellum dicitur ex vtraque parte iustum. Secundo, quia vterque est*

in iusta possessione nauicula, ergo neuter iure potest alterum eicere nauicula. Tertio, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. *Roman. 3.* Quarto nemo tueri vitam propriam debet cum morte alterius. Nihilominus probabilis est opinio Maioris.

Vigesimo primo queritur, An Christiani serui Turcarum licite remigent in turribus Turcarum contra Christianos, & licite abia ferorum, & captiuorum officia faciant in illis turribus contra Christianos: quia alicui certò, vel valde probabiliter vident se interficiendos à dominis suis Turcis, nisi ea officia faciant, & remigent contra Christianos. Dux sunt opiniones: Prima asserentium, non esse licitum illis ea officia facere, aut remigare. Sic Nauar. *cap. 17. num. 63.* Opinio secunda est asserentium, esse licitum. Hoc colligitur ex Maiore *in 4. dist. 15. qu. 22.* Certè hæc posterior opinio est probabilis: quia non tenetur quis cum vel valde probabili periculo vite suæ tueri vitam alterius. Item, quia hoc non est directè occidere alium, sed tueri vitam propriam, licet cum damno aliorum. Item quia hoc solum est serui solitum, & consuetum officium facere, vel remigare contra Christianos, ex quo non sequitur directè, & per se mors illorum: fortasse enim Christiani contra Turcas se defendendo salui euaderent, pugna enim euentus sepe incertus est.

Vigesimo secundo queritur, An pregnantis femina, aut in partu penclitans licite possit medicinam sumere, sibi quidem salutarem, ac secum periculofam? verbi gratia, sanguinis emissionem procurare, balneum intrare, aut pharmacum humoris purgatum accipere, aut emplastrum doloris lenitiuum, vt se conseruet, licet inde per accidens sequatur fetus periculum. In hæc re sunt dux opiniones. Prima asserentium non esse licitum, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona. Item, non est vita propria defendenda cum damno, & periculo alterius. Item quia Ambrosius *1. 4. quest. 5. cap. denique*, aperte ait, si alteri subueniri non possit, nisi alter lædatur, commodius est alterum viuere. Ioannes de Neapoli *quodlib. 10. Syluester in verbo Medicus. quest. 2. Beatus Antoninus 4. Par. Tit. 7. cap. 2. §. 2. Nauar. in Manuali cap. 25. num. 62. Armilla in verb. Abortus. num. 2.*

Secunda est opinio asserentium, id esse licitum, si faciat femina animo vitam suam conseruandi, & non directè, & per se intendendo periculum fetus. Dummodo non sumat medicinam directè, aut natura sua ordinatam ad abortum factus, vel intentum illius, quale est venenum. Ita Corduben. *lib. 1. sui Questionarij. quest. 38. dub. 3.* Respondeo primum, quando medicina est salutaria matri, & non ordinata ad intentum fetus, sed solum per se ordinata ad salutem matris, licet per accidens sequatur mors fetus, tunc licitum erit matri eam medicinam accipere, verbi gratia, licitum est matri currendo fugere, vt se liberet ab igne, vel fluminis cursu, vel hostium furore, vel similibus bellæ impetu, licet reuera cursus sit fetus periculofus, quia ius habet mater vitam suam conseruandi: Item, quis si non fugit, & currit, mater simul, & fetus periculum mortis incurrent. Et ita etiam licitum erit matri sanguinis emissionem procurare, vt seipsum seruet, licet per accidens sequatur periculum factus, quia hoc non est occidere factum, sed seipsum seruare.

Secundo: si medicina ex sua vi, vel eonditione est directè in fetus intentum, tunc non est licitum matri eam sumere, etiam si sumat eam vt seipsum seruet, quia non habet ius tuendi se cum intentu fetus. Dices; iure belli licite occiduntur innocentes, vt nocentes occiduntur, & Republica pax acquiritur, ergo licitum erit matri se tueri, etiam cum inuitu fetus. Respondeo, disparem esse rationem: quia ius belli cum ordinetur ad commune bonum Republicæ, licitam facit mortem innocentium, quando commune bonum præfertur particulari, ac inter priuatos, nemo, vt se defendat, habet ius tuendi se cum interitu alterius innocentis. Si dices; iniustus, licite occidit iniustorem, vt se defendat; ergo mater, vt seruet a



Morte, licet vitur medicinâ sibi salubri etiam cum interitu fetus. Respondeo: Non valet consequentia, quia inuasor est iniustus in aggrediendo, & vim affert alteri: at fetus non est inuasor, nec vllam vim affert matri, sed morbus est, qui matrem infestat.

Duodecimotertio queritur, Quid dicendum est cum fetus non est animatus; an licitum sit matri sumere medicinam ad se tuendam à morbo, etiam si per accidens inde sequatur impedimentum animationis in foetu? In hoc Armilla, Syluester, Anton. Nauar. Ioan. de Neap. aperte dicunt tunc esse licitum, quia mater tunc se liberat à morte, & nullum hominem occidit; si quidem fetus tunc non est animatus. At si dubitetur, sine fetus animatus, vel non, tunc autem non esse licitum.

### De Homicidio per abortum fetus.

#### CAPVT IV.

PRIMO queritur, Quot modis procurari soleat abortus fetus? Respondeo, tribus modis solere procurari. Primo impediendo ne fetus concipiatur, nimirum procurando vt foemina post concubitum fiat sterilis. Secundo, vt fetus iam conceptus, sed nondum animatus efficiatur. Tertio, vt fetus iam conceptus, & animatus excludatur.

Notandum est, foetum, si masculus est, ordinari animari intra quatuoraginta dies: si foemina, intra octoginta. Dixi ordinari, quia aliquando ob caliditatem, vel frigiditatem matris naturam fetus citius, aut tardius animari solet. Armilla in verbo (Abortus) num. 3. ex Syluest. verb. Homicidium num. 3.

Secundo queritur, An ad evitandum infamiam in foemina, & scandalum, quod sequeretur, si foemina quæ cum viro peccauit, grauida fiat, licitum sit, procurare remedium impediens conceptionem fetus? Est opinio aliquorum dicentium, esse licitum, quando infamia probabiliter timeatur magna, aut magnam scandalum aliorum, v. g. si monialis concipiat, aut puella nobilis in domo parentum cum aliquo cogatur, quia cum fetus non sit conceptus, nulli sit iniuria, si procuretur remedium ne concipiatur. Item quia hoc non est abortum procurare, nam abortus est, cum fetus iam conceptus excludatur.

Sed dicendum est, non esse licitum, quia est contra ordinem naturæ impedire conceptionem fetus: nam semen, & copula à natura sunt instituta ad proles generationem, & proinde ad conceptionem prolis, sine fetus, item non sunt faciendâ mala, vt veniant bona, vt Apostolus docet Rom. 3. Ergo ad infamiam, vel scandalum eius, quæ sponte sua peccauit, non est impediendâ conceptio fetus impediendo naturæ eorum. Item sibi imputet foemina, quæ sponte sua peccauit, si ex peccato perpetrato sequitur, vt infamiam incurrit, aut si ipsa, vel focus delicti, cum quo peccauit, mortis periculum adeat.

Tertio queritur, An sit homicidium, quando fetus est animatus, abortus facere, vel procurare, nimirum adhibendo media ad foetum excludendum ante tempus debitum. Respondeo, id esse peccatum magnum, & homicidium: nam sepe fetus ipse non solum perit, secundum corpus, morte corporis, sed etiam secundum animam, nimirum secundum vitam spirituales, quia perit sepe sine baptismo, & ita in peccato originali; aut exponitur periculo probabili pereundi absque baptismo.

Quarto queritur, An sit homicidium abortum facere, vel procurare, quando fetus non est animatus? Respondeo, si reuera sciatur probabiliter non esse fetus animatum, non est homicidium opere, & re ipsa commissum, licet fieri possit, vt animo & effectu homicidium sit, si intentio sit occidendi foetum, etiam animatum. Sed difficultas est, an sit peccatum, quando fetus non est animatus, abortum

facere, vel procurare. Dico esse peccatum, quia est contra ordinem naturæ: nam à natura fetus concipitur, vt animetur, & animatus edatur in lucem.

Quinto queritur, An medico licitum sit foemina prægnanti, & morbo periclitanti medicinam porrigere, vt abortum faciat, & saluti suæ consulat? Respondeo, communem esse opinionem, id non esse licitum, quando fetus est animatus, quia non sunt faciendâ mala, vt inde bona eueniant Roman. 2. 3. Sic Ioan. de Neapoli, Anton. Syluest. Nauar. Armilla. locis supra citatis. Quæres; quid si fetus non sit animatus; an tunc licitum erit porrigere medicinam, vt fiat abortus, & mater à periculo liberetur. Supradicti auctores aiunt, tunc esse licitum, quoniam nulli vita admittitur, & consulitur matri salutem, & vite, nec medicina datur, vt abortus fiat, sed vt periclitantis foemina vita seruetur.

Sexto queritur, Quid si sit dubium, an fetus sit animatus, an non; an tunc licitum erit medico prædictam medicinam præstare, vt abortus fiat, & seruetur mater? Respondeo, id non esse licitum, quia exponit se medicus periculo occidendi foetum. Sic prædicti Auctores ubi supra.

Septimo queritur, An quando prægnans periclitatur, & inducatur probabiliter à Medico saluum futuram, si fiat sanguinis emissio, aut si ei pharmacum humiditatis purgantium, aut emplastrum, doloris Ichitium adhibeatur, aut alia medicina salutaris, licitum sit medico talenti medicinam porrigere prægnanti ad seruandam eam, licet iudicetur talem medicinam animato foetu futuram periculosa? Respondeo, Primo duas esse opiniones: Prima est asserentium non esse licitum, quia non est salus matris procuranda cum damno fetus animati: Secunda opinio est, id esse licitum, ita Corduben. lib. 1. quest. 38. dub. 3. quia hoc solum est tueri vitam matris per se. Item quia est solum porrigere medicinam salutarem matri, & quæ non est ordinata ex sua natura ad abortum; vel ad interitum fetus. Item quia, vt supra diximus, licitum est matri eam medicinam sibi sumere, ergo licitum est alteri consulere, vt tumat eam, & medico licitum præstare eam prægnanti.

Secundo: Quando medicina ex sua vi ordinata est ad abortum, vel ad interitum, aut damnum fetus, tunc non est licitum medico eam præbere, etiam si sit profutura matri, & etiam si non detur ex intentione occidendi foetum; quia satis est, iam ordinari ex sua vi ad interitum fetus, nec est procuranda salus, & vita vitæ cum interitu alterius. Hæc ait Cordubensis ubi supra. Et est opinio probabilis.

Octauo queritur, Quæ pena sit contra abortum procurantes, vel facientes in iure constituta? De hoc dicam inferius, cum agam de penis latis contra homicidium.

### De Homicidio ex duellu.

#### CAPVT V.

NOTANDUM primo duellum accipi pro pugna inter duos ex conducta gratia probandæ veritatis, vel expurgandi criminis, nimirum vt is, qui vicerit, probasse veritatem credatur, ac si per testes, aut rationes, & argumenta legitima illam probasset, & is qui victus est, defecisse à probatione censetur. Item qui vicerit, à suspitione criminis, quod illi imponitur, se purgabat, quod si vincatur, crimen, quod illi imponitur, perpetrasse credatur. Syluester, Angelus, Armilla, Tabien. verb. Duellum: & Ioannes de Lignano in tractatu, quem edidit de duello.

Secundo notandum, Duellum accipi dupliciter, Primo late in genere, & tunc generatim accipitur pro quocunque certamine annorum inter duos, etiam licito, & iusto, quod non est legibus prohibendum. Secundo accipitur



strictè pro pugna armorum inter duos ex conditio ad probationem veritatis, vel criminis purgationem: Et hoc modo acceptum, est prohibitum legibus, & canonibus sacris, & appellatur in iure duellum, vel monomachia, hoc est vnius cum vno pugna ex conditio.

Tertio notandum, Duellum secundo modo acceptum habuisse publicum, & initium à Gentilibus; qui gratia spectaculi publici instruerunt duella; in quibus homines sese gladiis, & armis spectante populo interiebant. Postea duella ad probationem veritatis, & criminis expurgationem Longobardi in Italiam introduxerunt, qui, ut ait Ioannes de Lignano, *vbi supra*, leges sanxerunt, quibus duella admittentur ad purgationem multorum criminum, nimirum vt is, qui in certo criminis genere suspectus esset, duello se purgaret ab ea criminis iussione.

Primo queritur, An duellum, secundo modo acceptum, nimirum ad probationem veritatis, vel criminis purgationem sit licitum ex parte accipientis illud; quoniam ex parte prouocantis omnes Auctores ferè conueniunt esse illicitum; præsertim eum is qui offert, aut prouocat, est falsi criminis, delator, vel calumniator: Ratio dubitandi est, quoniam videtur esse licitum spem in armis, arte, & dexteritate pugnandi ponere. Respondeo esse illicitum, & prohibitum non solum iure canonico, sed etiam ciuili, & diuino, & naturali, vt rectè probant Syluester, Tabienfis, Angelus, & communiter omnes Doctores *suprà memorati*. Adhuc etiam Constitutiones Summorum Pontificum cum Sacro Concilio Tridentino. Nam veritatis probationem, & criminis purgationem committere duellis, est tentare Deum, eum sit quoddam fortis diuinatorie genus; est etiam innocens vitam aliquando morti, aut mortis periculo exponere: nam contingit aliquando, vt innocens in duello victus succumbat, & occidatur, aut mutiletur membro.

Dices; Non videtur, rem duello committere, esse Deum tentare, quia quisque spem potest probabiliter ponere in armis. Respondeo: Si non est tentare Deum, saltem est vitam innocens periculo mortis exponere sine iusta causa.

Secundo queritur, An duellum solum quod est ad probationem veritatis, vel criminis purgationem, sit illicitum, an verò sit etiam illicitum duellum susceptum ob alium finem? Respondeo, etiam aliquando esse illicitum ob alios fines. Primo, quando duellum sit odij, vel dissidij, aut inimicitie gratia. Secundo, quando sit ostentationis virtutis, & glorie cupiditate, vt victor in duello laudem, vel gloriam sibi comparet. Tertio, quando sit vindictæ causa, nimirum quando verbis contumeliosis quis affectus, aut aliqui iniuriâ læsissus, duello se se vindicet. Quarto, quando sit, vt spectaculum ad spectantium animos oblectandos, vt apud gentiles fieri solebat in gladiatorum spectaculis: omnia ista duella sunt illicita.

Tertio queritur, pugna armorum inter duos ex conditio, que dicitur duellum, in quibus casibus sit licita? Respondeo, eam pugnam in aliquibus esse licitam secundum Caietanum in 2.2. *quæst. 95. art. 8.* & Nauarum in *summa cap. 17. numer. 39.* & *cap. 15. numer. 9.* Primo, quando Rex, vel Princeps, vel Republica insum belium gerit, & quia non habet satis virum, quibus resistat hostibus, res duello inter duos vel plures milites vtriusque exercitus committitur. Secundo, quando aliquis ab alio per calumniam accusatur, & certò videt se condemnandum ad mortem, vel membri amputationem, & non potest aliter eundem ab iniquo calumniatore, nisi oblatum duellum acceptet, tunc licitum est acceptare duellum sibi oblatum à calumniatore suo aduersario, intercedente iudice: tunc enim solum innocens se defendet ab iniuria, & vitam suam tuetur à vi, sine iniuria.

Quarto queritur, An licitum sit duellum, quod solet esse inter milites duorum exercituum, qui tempore belli

acceptant singularia certamina vnius contra vnum, vel duorum contra duos, vel decem contra decem, ad quæ prouocantur ab hostibus? Respondeo, duæ sunt opiniones: Prima est asserentium, non esse licitum: est Caietani in *summa verb. Duellum. c. 2.2. quæst. 95. artic. 8.* & Armillæ in *verb. Duellum*. Secunda est asserentium, esse licitum: Sic Nauar. in *summa cap. 15. numer. 27.* In hac re dico, Primo: si hæc certamina solum fiant gratia ostentandi vires, vel spectaculi publici causa, tunc non est licitum ea acceptare; quia licet ex obiecto non sint illicita, sunt tamen illicita ex fine adiuncto. Et hoc sensu loquitur Caietanus. Secundo: si hæc certamina acceptentur, nè exercitus hostium prouocantium ad ea, animosior, & audacior fiat ad prælium. Item nè exercitus militum prouocatorum animus despondeat, & spem victoriae abiciat. Item si acceptentur, ad consulendum honori, & famiæ militum. Item vt victoria facilius, & commodius in bello iusto obtineatur, tunc licitum acceptare hæc certamina, & hoc sensu loquitur Nauaricus.

Quinto queritur, An duellum acceptare litis, & contentionsis diuidentis, seu terminandæ gratia, sit licitum? v. g. litigatur inter duos, & quia lis aliter componi non potest, duello committitur, ita vt qui vicerit in duello, ius in lite habere censetur? Respondeo, non esse licitum, nisi in duobus casibus *suprà dictis* in prædicto loco. Caietanus, Nauar. & alij communiter: nam periculo necis vita innocens exponitur, nam accidere potest, vt innocens vincatur, & pereat occisus.

Sexto queritur, An prouocato ad illicitum duellum, sit licitum illud acceptare ignominie depellendæ gratia, quando ex hoc quod non acceptat, vilis apud homines iudicatur. Respondent aliqui, esse licitum, quia vim vi repellere licet. Item iniuriam illatam licitum est depellere. Item pro honore tuendo licitum est iniuriam occidere.

In hac re, dico esse illicitum, nisi in duobus *supradictis* causis, quia alia ratio est de occidente iniuriam pro tuendo honore suo, alia de prouocato ad duellum: quia iniustus aliter honorem suum tueri non potest nisi occidat iniuriam: at prouocatus potest tueri honorem suum iudicis officio. Dices, vilis, & abiectus censetur prouocatus ad duellum, nisi illud acceptet. Dico, non esse habendam rationem vulgarij hominum in hoc, quia prouocatus apud viros Christianos, pios, & prudentes nullam honoris sui iacturam facit, si duellum non acceptat.

Septimo queritur, Quid dicendum, si duo sunt iudicis sententia damnati ad mortem, an possint licitè à iudice, Principe, vel Republica cogi, vt sele mutuo occidant: nam videtur esse licitum, quia hoc nihil aliud est, quam constituere, vt alter sit minister iustitiæ ad occidendum alterum, & cum vterque sit reus mortis, & per iudicis sententiam ad mortem damnatus, videtur quod vterque pugnam licitè acceptet. Item quia reus mortis iulle potest damnari, vt fame pereat, ergo vt pugnet cum altero.

Respondeo, non esse licitum, aut saltem non expedire vt sic fiat. Sic ait Maior in 4. *Distinct. 15. qu. 23.* Nec enim expedit, vt vtrique detur facultas se tuendi contra alterum, & resistendi alteri. Si roges, an data à Principe, vel Republica prædicta facultate, alter licitè occidat alterum, & vterque licitè bellum acceptet? Dico, vtrumque esse licitum, quia vterque constituitur minister iustitiæ à iudice ad occidendum alterum.

Octauo queritur, An licitum sit Principi, quando duo sunt iuste ad mortem damnati, pugnam illis libere concedere, vt qui victor occidendo alterum euaserit, vita donec, & libertate? Respondeo, id non esse licitum, aut saltem non expedire, vt vtrique facultas detur se tuendi contra alterum, & resistendi alteri.

Nono queritur, An prouocatus ad duellum, prudens se certò interimendum à prouocante, nisi duellum acceptet, rata possit conscientia acceptare duellum. Respondeo posse: si aliud remedium illi non suppetit, vt se à morte



libere, quia hoc nihil aliud est, quam tueri vitam suam: Si vero aliud sit remedium euadendi, tunc non est licitum huiusmodi duellum admittere.

Decimo quaeritur, An si iudex falsè accusato dicat se eum pro conuictio, & reo habitum, & eum condemnaturum, nisi duellum suscipiat, & se purget à crimine, licet possit accusatus duellum acceptare, cum tamen sit innocens? Tres sunt opiniones; Primò asserentium, si condemnandus est ad mortem, vel amputationem membri ob causam criminalem, tunc est licitum. Si vero condemnandus est in causa civili ad rerum, vel honoris iacturam, tunc non est licitum. Ita sentiunt quidam, quos citat Syluester in verb. *Duellum, quest. 2.* Opinio secunda est asserentium, id licitum esse semper sive in causa civili, sive criminali. Sic Angelus, eodem verb. numer. 2. ex Rainerio, & Lyano 2. Reg. cap. 16. Tertia opinio est asserentium, esse licitum sive in causa criminali ad seruandam vitam, vel membrum, sive in causa civili pro defensione honoris, vel rerum suarum. Ita Syluester in verb. *Duellum, quest. 2.* citans pro hac sententia Anton. Pisam. Rosellam, Supplementum, Rainerium, Summam confesso. Gofredum, Höflichem.

In hac re dico, Primò in causa criminali si condemnatio est ad mortem, vel membri amputationem, tunc probabile est esse licitum, sic eum sentiunt Caietanus 23. qu. 9. artic. 8. & Nauarr. in summi. cap. 1. num. 39. & cap. 15. nu. 9. ut supra dixi. Secundo in causa civili pro defensione honoris, vel rerum, probabilis videtur esse quod non sit licitum, quia se plures sentiunt; ut probabile est etiam oppositum, quia licitum cuique vitam suam periculo mortis exponere pro defensione sui honoris, vel rerum suarum.

### De penis contra Duellum.

#### CAPVT VII.

**NOTANDVM** primo in duello solere reperiri quinque genera personarum. Primò Principes, Impetratores, Reges, vel alios homines duellum concedentes in terris sibi subiectis. Secundo pugnantes. Tertio patros eorum. Quarto eos qui consulunt, vel aliquo modo fauent. Quinto spectatores, qui ad spectaculum concurrunt.

Secundo notandum, in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 9. contineri penas sequentes. Primò omnes prædictæ personæ ipso facto sunt excommunicatæ.

Secundo, Domini in terris suis concedentes facultatem ad duellum, priuantur iurisdictione terræ illius, in qua concedunt facultatem ad duellum, si eam ab Ecclesia habent; quod si est feudum, priuantur eorum, ita ut redeat feudum ad dominum directum.

Tertio pugnantes, & eorum patres, notantur infamia.

Quarto incurrunt priuationem omnium bonorum, & penam homicidii, hoc est, sic debent puniri, ac si homicidæ essent, licet non sit secuta mors.

Quinto morientes in duello, priuantur Ecclesiasticâ sepultura. Hæc omnia ex Concilio, quo diximus loco.

Tertio notandum, ex prædictis penis excommunicationem incurrunt ipso facto: ceteras verò penas incurrere debere per sententiam iudicis.

Quarto notandum, prædictas penas locum habere in iis casibus, in quibus duellum est illicitum. Item prædictas penas incurrere dominos facultatem concedentes ad duellum, non autem quando domini solum impune permittunt propter peccata maiora, aut plura damna deuitanda.

Primò quaeritur, An prædictæ penæ incurrantur in duellis etiam priuatis quocumque modo commissis absque vlla Principis alicuius publicæ auctoritate? Audio huic dubio respondisse Congregationem Cardinalium, quorum est dinere dubia in Rebus pertinentibus ad Concilium Tridentinum, quod prædictæ penæ locum habeant in priuatis duellis, etiam si fiant absque alicuius Principis facultate.

Secundo quaeritur, An prædictæ penæ locum etiam habeant in pugnis singularibus, quibus vel in nauis, vel alibi vnus dicit alteri: In tali loco te expectabo, & ibi pugnabimus, & postea pugnant soli nullis concurrentibus ad spectaculum, & absque Principis facultate, & Patris? Videtur quod prædictæ penæ locum etiam habeant in his pugnis, quia habent rationem duelli: nam est pugna inter duos ex pacto ad locum, & tempus certum constituto. Ex alia parte videtur, quod prædictæ penæ locum non habeant: quia penæ, & odia sunt restringenda, & duellum strictè accipitur, ut supra diximus, pro pugna inter duos ex conducto gratia probandæ veritatis, aut criminis purgandi. Et prædicta pugna licet sit inter duos, & ex conducto sit, tamen solum est odij, dilidij, & vindictæ causa.

### De homicidio ex bello proueniente.

#### CAPVT VII.

**NOTANDVM** primò de bello multa tractari solita, id est, Quæ, & quor requirantur ad iustitiam belli. Secundo de obligatione resistendi eas, quæ sunt bello paræ. Tertio de iure occidendi homines in bello. In præsentia non est agendum aut de iustitia belli, aut de rebus bello acquisitis, sed tantum de hæcibus, quæ in bello contingunt.

Secundo notandum: In bello iniustum est apud omnes, hominum cædes illenæ fieri ab eo, qui bellum iniustum scit se gerere, vel probabiliter credit se bellum gerere iniustum, & contra consentiam.

Tertio notandum; Bellum esse duplex; vnum aggressiuum, alterum defensiuum, quod suscipitur ab aliquo ad sui ipsius, vel sui honoris, vel suarum rerum defensionem.

Primò quaeritur, An quando dubium est, bellum sit iustum an non, licet sint hominum cædes: Certum est, eui constat certo, vel probabiliter bellum esse iniustum, non esse licitum occidere in bello, quando est aggressiuum, quia erit causa iniustæ mortis aliorum; vel se ex potest probabili periculo occidendi alios iniuste. Secundo si bellum est aggressiuum, & belli iustitia est dubia, peccatum est bellum aggredi, ob periculum iniustitiæ contra proximum committendi. Tertio si bellum est defensiuum solum, nimirum ad se defendendum ab hoste inuadente, tunc licitum est occidere hostem inuadentem, quando aliter quis se tueri non potest, etiam si dubia esset iustitia belli, ut aggressiuum est. Hoc patet ex supradictis.

Secundo quaeritur, An in bello, quod militi priuato constat esse iniustum ex parte sui Principis, licitum sit priuatum militem inuadentem occidere, si aliter se ab eo defendere non potest, nisi eum occidendo? v.g. Petrus miles videt Paulum militem in bello contra se intrantem, & certo credit eum esse innocentem, quando certo credit bellum ex parte hostium esse iustum. Item Petrus miles vult à bello, quod credit esse iniustum ex parte sui ducis, desistere, sed eum insequitur Paulus miles contrarij exercitus, nec potest aliter euadere, nisi occidat Paulum, an licitum sit Petro Paulum occidere, si aliter se à morte capere non potest? Ratio dubij est, quia bellum nequit esse iustum ex vtraque parte scilicet ignorantia: sed ex parte Pauli bellum est iustum, ergo Petrus iniuste pugnat contra Paulum. Item Paulus iuste potest occidere Petrum,

cum



etiam bellum licitum ex parte Pauli, ergo Petrus licite resistit Paulo. Item si reus aliquis occideret ministrum iustitiae volentem punire per mortem ipsum reum, iniuste faceret, & Paulus est veluti minister iustitiae, quia est miles in bello iusto.

Sorus *lib. 5. de Iustitia. art. 10. a. 7.* ait, quod Petrus miles iuste potest Paulum occidere, quia occidit eum se defendendo. Item quia licet Petrus peccauerit militando in bello iniuste, non tamen ideo amittit ius naturale: nam etiam adulter licet peccet adulterando, non tamen peccat se defendendo ab eo, qui vult ipsum in adulterio deprehensum occidere. Item iur in furando peccat; in se tamen defendendo eum a furto desistat, non peccat contra volentem occidere eum deprehensum in furto. Item si iniuste desistat ab iniuadendo iniuste, & moneat iniustum, quod non amplius eum iniuadere vult, licite se defendere potest, si iniustus velit eum occidere. Item Petrus miles nullam lege cogitur, vt sinat se occidi. Dices, bellum nequit esse iustum ex utraque parte: Dico bellum ex parte Pauli esse iustum in aggrediendo; at ex parte Petri non est iustum bellum aggressiuum, potest tamen esse iustum defensiuum: Si dices, & reus iuste non se defendit a ministro iustitiae? Respondeo, reum non defendere se iuste a ministro iustitiae, a milite tamen irruente potest licite se defendere, quia cum durat belli communis conflictus, licet vnus exercituum bellum gerat aggressiuum iustum, alter gerere etiam potest bellum iustum non aggressiuum, sed defensiuum.

In hac re mihi videtur dicendum, hoc esse licitum Petro, dummodo Petrus Paulum admoneat, vt ab iniuadendo desistat, quia non vult ipse in eo bello pugnare, aut occidere, quod credit iniustum.

Tertio quaeritur, An Petro militi priuato, qui certo credit bellum ex parte hostium esse iustum, licitum sit occidere in ipso belli communis conflictu Principem hostium venientem contra ipsum, vt se a morte liberet, quando aliter se tueri non potest? Respondeo, licitum esse Petro id facere, dummodo moneat eum vt ab irruendo desistat, quia non vult eo in bello, quod putat Petrus esse iniustum, amplius pugnare: quod si monitus sic Princeps nolit ab irruendo in Petrum desistere, tunc sibi imputet, si occiditur a Petro defendente se.

Sequitur ex dictis, vt totus exercitus, qui certo credit ex parte hostium bellum esse iustum, vel desistere a bello, & moneat de ea re exercitum hostilem, & licet nolit a bello cessare, sed monitus sic, vt dixi, bellum persequatur, tunc exercitus, qui bellum iniustum principio suscipit, ius habet se defendendi ab exercitu hostium, etiam cum interitu hostium, si aliter se tueri non potest.

Quarto quaeritur, An Princeps iuste bellum indicat, & gerat, quando inter doctos viros, & bonos est varia opinio, aliis nempe asserentibus bellum esse iustum, aliis dicentibus esse iniustum, sed rationes vtriusque sunt aequae, & pares in probabilitate? Respondeo, tunc Principi esse licitum bellum gerere, quia ad iustitiam belli satis est, si viros doctos, & bonos consulat, & in practicis satis est sequi opinionem probabilem, quoniam in his demonstratio haberi non potest. Item quia medicus in pottingenda medicina aegroti, satis est, si eam praebeat medicinam, quam ex opinione doctorum hominum putat futuram salutare: aduocato in defendenda causa litigantis satis est, si eam causam defendat, quam ex opinione probabili Doctorum putat esse iustam: & iudici itidem in ferenda sententia sufficit, si ferat eam, quam putat esse iustam ex opinione probabili Doctorum. Item quia viri docti, & boni, quando apparent rationes probabiles iusti belli, non peccant in suadendo Principi bellum, ergo nec Princeps in gerendo ex opinione, & consilio illorum, bellum. Item quia aliter vix vquam bellum licite aggressiuum fieri posset. Lege Syluestr. *verb. Bellum. q. 9.*

Quinto quaeritur, An quando dubium est inter duos Principes successores in aliquo regno, vter eorum sit legitimus successor in regno, sit alteri licitum bellum ge-

tere contra alterum, vt regnum sibi acquirat? Respondeo, Primo, si alter eorum est in regni possessione, illicitum est se defendere, ne possessionem amittat, & alteri est illicitum bellum gerere contra illum, quia ceteris paribus, in dubio melior est conditio possidentis. Item in ceteris rebus priuatis idem patet: nam si quis possidet rem, quam dubito an sit mea, an ipsius qui possidet, ius non habeo auferendi illam ab eo qui possidet. Secundo, si neuter est in possessione Regni, & ius succedendi est aequaliter dubium ex parte vtriusque, tunc neutri est licitum bello Regnum acquirere, quia se exponit vterque periculo vtriusque sibi Regnum alteri debitum. Item quia non est maior ratio de iustitia vnus, quam alterius. Item, quia ex parte vtriusque esset iustum bellum omni feciusa ignorantia: quod est absurdum. Sic Victoria in *Relict. iure belli. numer. 38.* Tertio, in praedicto casu, vel res, aut lis esset componenda arbitrio bonorum virorum per compromissum, vel forte Regnum esset alteri tribuendum, vel aliter lis esset per Pontificem dimittenda. Patet, quia hoc idem fieri solet in ceteris rebus similibus, & in simili casu. Sic Victoria *loco proxime allato, numer. 28.* Quarto, in praedicto casu si alter illorum Principum iniuaderet, & vendicaret sibi regnum, ius esset tunc alteri defendendi se, & regnum ab eo: patet, quia esset iniustus iniuator, & contra iniuatorem iniustum ius est defendendi seipsum.

Sexto quaeritur, Deficiente legitimo successore in Regno, cui ius successionis acquiratur? & An sit licitum alicui illud Regnum bello occupare? Respondeo, Primo, tunc deuolui ius regni ad ipsam Rempublicam, patet, quia Respublica sibi primum Regem elegit, & in Regem suam transtulit potestatem, ergo deficiente regia successione, manet penes Rempublicam regia potestas. Secundo, ipsa Respublica in eo casu habet ius eligendi sibi Regem. Tertio, in eo casu nulli alteri quam Republicae esset ius bello occupandi regnum: patet quia sine consensu Republicae quicumque occuparet regnum, esset iniuator, & occupator alieni iuris, & Respublica haberet ius sese defendendi contra eum.

Septimo quaeritur, quot genera personarum possint iuste in bello licite occidi? Quot item genera personarum non possint occidi licite? Respondeo, in primis in bello licite occiduntur in ipso belli conflictu duces hostium. Item milites hostilis exercitus: Tertio, quotquot pugnant, auxilium, vel factorem, vel consilium, vel operam suam quomodocumque praestando in exercitu hostium. Secundo, licite etiam occiduntur infantes, & ceteri omnes innocentes existentes in ipso hostili exercitu, dum belli communis conflictus durat, & aliter hostes debellari non possunt commode, nisi etiam simul cum eis occidantur innocentes. Hoc certum est apud omnes, & ratio id probat, quoniam iniustum est bellum, sed vt supponitur, bellum aliter fieri nequit, nisi simul moriantur infantes. Item quia si aliter hostes debellari non possent iusto bello, nisi ciuitas tota igne exuratur, licite exuri potest, aut solo aequati, vbi innocentes etiam pueri, & infantes igni subiacerent. Tertio, finito belli communis congressu, vt etiam ante ipsum inceperunt, non est licitum occidere clericos sacris initiatos, monachos, regulares, conuersos, peregrinos, mercatores, rusticos, cum sint in agricultura, vel eunt, aut redeunt ex ea animata, quibus agros colunt, non est licitum occidere. Item infantes, & ceteros innocentes, ex cap. *Inuouamus de Treuga & pace.* Nota itidem, clericos, & alios praedictos praeterea semper innocentes, nisi certo constiterit eos aliquo modo operam suam praestare ad pugnam. Sic Victoria *vbi supra. numer. 34.*

Octauo quaeritur, An finito belli communis congressu iusto, & parata victoria, licitum sit occidere promiscue quoscumque deprehensos in hostili exercitu? Respondeo, primo licitum esse Principi, siue belli Imperatori occidere malefactores: patet, quia illi occiduntur vt nocentes, & ma-



les factores ob delictum eorum, quod causam nempe belli dedent: Item, ad terrorem, & exemplum aliorum: Item, ut delicta iuste puniantur: unde occidi debent post cognitam delicti causam: nemo enim incognita causa condemnari potest. Secundo, innocentes iure occidi tunc non possunt, quales sunt infantes, & iam supra memorati: patet quia cum finitum sit bellum, & victoria ab hostibus reportata, iam cessit ius occidendi innocentes, qui iure belli occidi licite nequeunt, nisi quando reliqui, qui in culpa sunt, debellari commode non possunt, cum quibus iustitiam innocentes.

Nono queritur, An in bello contra Turcas, & Saracenos, licitum sit occidere infantes, & pueros finito belli congressu, & parva victoria? Ratio dubitandi est, quia illi cum adoleuerint, sicut hostes Christianorum. Certe non videtur esse licitum, & sic fecit Victoria eodem loco, quem supra citauit, quia non sunt facienda mala, Rom. 3. ut veniant bona, ergo non sunt occidendi infantes, ne in posterum nos laedant. Item, quia nemo iuste occiditur pro culpa, aut iniuria futura. Item quia futura mala deuitari possunt sine hoc, quod occidantur, nimirum, si in captiuitatem, aut seruitutem redigantur.

Decimo queritur, An finito belli congressu, & obtenta victoria, licitum sit occidere omnes nocentes? Licitum est, Primo, in peccatum peccati. Sic enim etiam Respublica punit malefactores. Secundo, in terrorem aliorum, & ob bonum publicum. Tertio, ad pacem, & securitatem in posterum habendam.

Vndecimo queritur, An liceat occidere eos, qui se dederunt in bello, vel oblatione? Respondeo, Primo si innocentes sunt, licitum est eos occidere, si non se dederunt et oblatione, ut salua esset eorum vita: hoc enim habet ius belli, & hosti fides seruanda est. Secundo, non esse licitum occidere, si sunt innocentes, cum innocentes iure occidi nequeant. Sic Victoria loco citato num. 40.

Duodecimo queritur, An confugientes ad Ecclesias occidi possint in bello? Respondeo in primis: Si hostes Ecclesiarum ut arce, vel propugnaculo utantur, ita ut inde pugnent, seque defendant, non gaudent immunitate Ecclesiarum: Item si in Ecclesia arma bellica deponant. Secundo si in Ecclesia victualia conseruant, ut se sustentent, & pugnent, non gaudent Ecclesiarum immunitate. Haec habet communis opinio. Tertio, his remotis, confugientes ad Ecclesias gaudent Ecclesiarum immunitatis bono.

Decimotercio queritur, An Dux sine Imperator belli licite possit tradere militibus suis ciuitatem hostium in direptionem, & praedam victoria obtenta? Ratio dubij est, quia post deuictos hostes, non est licitum innocentes occidere: at si ciuitas in praedam militibus traditur, sequuntur passim caedes innocentium: nam milites ut spoliarent, nulli parcunt etiam innocenti; quin etiam puellas, & virgines violant, & Ecclesias diripiunt.

Respondeo, Primo, cum victoria aliter obtineri non potest in bello iusto, nisi promissione facta de hostium ciuitate in praedam militibus tradenda, tunc licitum est Duci id promittere, & promissum postea praestare: patet, quia aliter hostes debellari non possunt. Item, quia necesse est, militum animos spe praemij conseruare, & confirmare. Item, quia aliter res, & malefactores puniri non possunt. Secundo, deuictis hostibus, aliquando licitum est Duci tradere ciuitatem hostium militibus in praedam, patet, quia id necesse est aliquando ad animandos milites, sibi que deuincendos eum opus erit, ad alia bella. Item ad terrendas alias hostium ciuitates, ut sese subiciant, & dedant. Item in peccatum hostium, ut luant in bonis temporalibus. Tertio, quando deuictis hostibus ciuitas traditur in praedam militibus, tunc Dux belli debet militibus praecipere, ut abstineant a diripiendis Ecclesiis, & occidendis innocentibus, & spoliandis his, quos supra dixi in cap. Immanitas, de Treuga & pace.

Decimoquarto queritur, An in bello iusto licitum sit uti insidiis? Respondeo, id esse licitum. Insidiae autem militares

sunt, vel verba aequiuoce, & artificiose composita; vel facta, quae duplicem sensum, vel duplicem rem designare possunt. Non tamen licitum est mentiri, quia mentiri est intrinsece malum. Sic habet communis opinio, & hic est verus bellum gerentium.

Decimoquinto, An hosti sit fides data seruanda? Respondeo, esse seruandam: at si hostis primam fidem frangat, tunc non est illi fides seruanda: Sic habet communis opinio.

Decimosexto queritur, An licitum sit occidere Obfides, si hostes fidem segerint? Respondeo esse licitum. Nam ea conditione dantur obfides, ut hostes fidem seruent: Item quia aliter pax, & securitas ex bello haberi non posset. Item, quia aliter hostes semel deuicti in officio contineri commode non possent.

Decimo octauo queritur, An priuatis militibus licitum sit occidere, aut praedas agere, aut incendia, absque Ducis, siue Imperatoris belli facultate? Respondeo, non esse licitum, quia tunc bellum facerent milites priuati auctoritate, cum tamen geri non possit absque publica auctoritate Principis, vel Respublicae.

Decimonono queritur, An si Rex, verbi gratia, Imperator olim Romanus nollet satisfacere Carthaginensibus pro iniuriis, quibus afflicti sunt ab illis priuatis militibus, & priuata auctoritate irruentibus in Carthagenenses, & eorum bona diripientibus, An, inquam tunc, Rex Carthaginensium ius habeat gerendi bellum contra omnes Romanos? Ratio quaeritionis est, quia non omnes Romani in praedicto casu sunt nocentes. Respondeo, ius habere Regem Carthaginensem eis bellum inferendi: nam tunc Romanorum Rex in culpa eliet, cum nollet Romanos nocentes punire, & pro iniuriis ab illis illatis Carthaginensibus satisfacere. Item, quia in dicto euentu Rex Carthaginensium ius habeat debitam sibi pro iniuriis acceptis a Romanis compensationem accipiendi a quibuscumque Romanis, & quoniam eam accipere non potest a Romanis nocentibus, iure potest accipere eam ab innocentiibus Romanis: hoc tamen intelligitur his conditionibus. Primo, ut Rex Romanorum prius moneatur de iniuriis illatis a sens, & ab eo requiratur, ut Romanos nocentes puniat, & pro iniuriis satisfacere eos cogat. Secundo, ut solum Romani degentes in diuisione Romana sub Rege suo laedantur, non autem innocentes Romani extra Romanorum regna commorantes. Haec Maior in 4. Distinct. 25. qu. 21.

Vigesimo queritur, Quid dicendum, si mercator Hispanus bona Galli mercatoris bello iniusto, verbi gratia, piratarum abstulit, aut in mari abstulit a Gallo nauem, onuliam mercibus, & Gallus iniuriam passus, mouet Regem Hispaniae, ut sibi pro iniuria, & damno satisfieri praecipiat, & Rex Hispaniae monitus nolit id facere? An Gallus Hispaniam ingressus iure possit bona alterius auferre, aut in mari nauem alterius Hispani mercatoris diripere pro compensatione iniuriae, & damni sibi facti? Ratio quaeritionis est, quia si tu fraudas me vno scuto adulterino, non ego idcirco habeo ius fraudandi alium innocentem, dando illi scutum adulterinum illud? Respondeo, quod eum omnes finitum Hispani se verum, vel tacita praesumptione inueniunt, & Gallus spoliatus non possit sua recuperare ab Hispano qui abstulit, nec possit ut Regis Hispanorum auctoritate, iure potest a quocumque Hispano Regi subito satisfactionem accipere. Sic Maior loco citato.

Ex dictis sequitur primo, ut quando duo sunt finitima regna, quorum Reges publica auctoritate inter se bellum induxerunt, utraque pars consentium virtualem habeat Regum sua bona oblata repetendi bello, quae aliter recuperare non possunt. Sequitur secundo, ut Christiani virtualem consentium habeant Principum Christianorum recuperandi sua bello a Turcis, & Saracenis: quia continuum bellum est iniustum contra Turcas, & Saracenos, utpote inimicos Fidei, & Christianorum hostes. Sequitur



tertio, vt ij Christiani, qui finitimi sunt Turcis, & Saracenis, ius habeant belli gerendi contra Turcas, & Saracenos animos quoscuque, & eos spoliandi, quia id similiter Turcae, & Saraceni semper faciunt, & semper Christianos vexant exortitionibus, & pyratiscis bellis. Sequitur quarto, vt Christiani pyratiscam artem iure exerceant contra Turcas, vel Saracenos in mari, vel terra, quia sunt perpetui hostes populi Christiani, & publice Regum, ac Principum Christianorum auctoritate continuum bellum est indictum contra eos. Haec intelligantur, nisi aliunde certo constiterit, iam esse interdictum in aliquo certo mari, vel terra auctoritate alicuius Principis, vel Republicae id prohibentis ob alios fines bonos, & honestos.

Vigesimo primo quaeritur, An quando iustitia belli est dubia, licitum sit militibus bellum gerere publica Principis auctoritate indictum? Respondeo: Primo, si milites non sint subditi, sed vel mercede conducti, vel sponte sua ad bellum se offerentes, tunc non est licitum illis militare quamdiu dubij sunt de iustitia belli, quia periculo se exponunt multorum peccatorum. Sic habet communis opinio. Secundo, si milites sunt subditi, & a suo Principe vocati iubeantur militare, tunc licitum est illis militare, etiamsi dubij sint. Sic Maior, Victoria, Syluester *locis citatis*. & communis opinio. Et ratio id probat, quia in dubijs praesumendum est pro iustitia Principis. Item quia aliqui subditi se exponerent periculo agendi contra obedientiam, & iustitiam superioris praecipientis. Ergo quando superior iubet, vt militent, teneor parere, licet sit mihi dubium de iustitia belli. Tertio, miles subditus quando est dubius, an licitum sit militare, an non, tunc non est illi licitum militare, quia ageret contra conscientiam dubiam practicam, quod non est licitum, licet licitum sit agere contra dubium speculatum, quod habet, an sit iustum bellum, an non. Haec omnia habet communis opinio.

Dicit aliquis: Miles subditus, qui est dubius, an liceat illi militare, quo modo potest hoc dubium deponere? Respondeo, posse illum deponere hoc dubium, vel ob obedientiam Superioris praecipientis, vt militet, vel ob consilium viri docti, & boni dicentis illi, esse licitum militare, quia tunc bene colligit syllogismo sic: in dubijs licitum est obedire superiori: ego sum dubius, ergo licitum est mihi obedire militando. Item sic: licitum est in dubijs sequi consilium dicentium, quod licite possim ad bellum ire.

Vigesimo secundo quaeritur, An licitum sit homines bello iusto captos in seruitutem redigere? Respondeo, esse licitum, & ita habet communis opinio ex *L. Hostes. de captiui*. quia cum sit licitum eos occidere, si deprehendantur, mitius agitur cum illis, si vincti seruentur, & serui capiuntur fiant. Dices, hoc solum probat de iis, qui nocentes sunt, & bello iusto capiuntur, non tamen de iis, qui innocentes sunt, quales sunt pueri, & infantes hostium, qui capiuntur bello, & ideo dubium est de illis, an licite serui fiant. Respondeo, eos licite iure gentium posse seruos fieri in perpetuum capiendi, ita habet communis opinio: & ratio id probat, quia ob poenam, & delictum parentum possunt filij perpetua seruitute puniri. Item perpetua infamia aequalet perpetua seruituti: sed ob delictum parentum filij possunt puniri perpetua infamia, ergo, & seruitute. Item quia *cap. Dum multa. 15. quaest. 8.* filij nati ex ea, quae scienter contraxit cum viro constituto in sacris, sunt serui Ecclesiae, ergo & filij nati ex hostibus, possunt fieri serui.

Vigesimo tertio quaeritur, An sit licitum occidere infantes, & pueros innocentes filios hostium, captos bello iusto in poenam ob delictum parentum, sicut est licitum eos in perpetuum seruitutem redigere ob suorum parentum delictum? Respondeo, non esse licitum, quia in vniuersum prohibetur iure naturali mors innocentis.

Vigesimo quarto quaeritur, An Christiani capti bello iusto ex Christianis fiant licite serui capiuntur? Respondeo, ex natura rei iure belli eos posse fieri seruos: de vsu

tamen, & more inter Christianos receptum est, vt serui quidem non sint, seruari tamen possunt captiui, vt pretio redimantur, ait Bartolus, communiter receptus. *L. Hostis. ff. de captiui. Syluest. verb. Bellum. 1. §. 1.* Secundo, lege, & constitutione noua Principum Christianorum statui potest, vt Christiani nocentes capti bello iusto à Christianis perpetua seruituti tradantur, aut fiant serui capiuntur: nam vsus, & mos contrarius tolli potest noua lege Principis. Item quia in iure Canonico statutum est, vt aliqui ob delictum fiant serui. *cap. Ita quorundam. de iudeis. c. De raptoribus. 36. quaest. 1.* Item quia quos occidere iure possumus, iure possumus seruos efficere. Item quia iure possunt ob delictum perpetua infamia puniri.

Vigesimo quinto quaeritur, An Christiani capti ab infidelibus, Paganis bello iusto fiant serui capiuntur, ita vt illis in seruitutem traditis non sit licitum fugere? Respondeo, Primo eos iure belli fieri seruos capiuntur, quia ius gentium in hoc non est abrogatum vsu, & more. Tota difficultas, An licitum sit illis sic seruis effectis fugere à domino. Et in hoc sunt duae opiniones: Prima est negantium esse licitum illis fugere, nisi cogantur à fide, & religione Christiana desicere, aut aliquod mortale peccatum committere. Sic Glossa in *cap. Ius gentium, dist. 1.* Aciatus, Rubica, Cantua. quos citat Couarruias in *regula peccatum. part. 2. §. 11. numer. 6.* quia si fugiat Christianus sic à Paganis iure belli captus, furtum committit, quoniam cum sit res, & possessio domini, seruus seipsum, fugiendo, subtrahit & auferit à domino. Item quia dominus ius habet retinendi seruum, & fugientem capiendi, & coniciendi in vincula: Ergo seruus non habet ius fugiendi, alioqui bellum esset iustum ex vtraque parte. Opinio secunda est asserentium, licitum esse fugere. Sic Angelus *supplemen. Rosella*, vt citat Syluester *verb. furtum*. Ita Sotus *lib. 4. de iust. qu. 2. numer. 2.*

Respondeo, Primo certum est apud omnes, licitum esse fugere Christiano iure belli capto, & seruo facto à Paganis, quoties, vel ad infidelitatem, vel ad mortale peccatum cogitur, aut tale periculum probabiliter timeatur. Secundo, In vniuersum licitum est illi fugere, vt in Patriam redeat, & se in libertate constituat. Sic Couarruias *lib. 1. Variar. resolut. cap. 2. num. 10.* nam ius belli ad hoc solum extenditur, vt capti bello, & serui facti non fugiant, vt intra hostium capiuntur confinia vagentur liberi, & commorentur: nam cum seruitus sit poena iure gentium introducta, est benignè interpretanda, & restringenda. Tertio, Non est illi licitum fugere, vt intra Paganorum hostium confinia vagetur, aut commoretur. Ita Couarruias *loco citato*; quia quamdiu intra confinia hostium commoratur, iure est seruus, & consequenter res, & possessio domini sui.

Vigesimo sexto quaeritur, An Christiano capto in bello à Saracenis, vel Turcis, vel seruo facto apud eos, licitum sit fugere, etiam quando non cogitur ad infidelitatem, vel mortale peccatum, & etiam quando animum non haberet redeundi ad patriam? Ancharan. & Aretinus citati à Couarruias, aiunt non esse licitum, quia iure est Saraceni, vel Turcae, qui cepit eum bello. Sed dicendum est, absolute esse licitum illi in vniuersum fugere, quia Turcae & Saraceni bellum iniustum gerunt contra Christianos, & ita Christiani ab eis in bello capti non fiunt iure belli serui capiuntur, cum bellum sit iniustum ex parte eorum, sic Couarruias *ubi supra*, & Caiet. *2. 2. q. 66. art. 8.*

Vigesimo septimo quaeritur, An Mauri Granatenses, qui baptizati sunt, & contra Regem Hispaniarum Philippum II. rebellantes, capti bello sunt, poterunt licite in seruitutem tradi, vt etiam traditi sunt? Ratio dubitandi est, quia fuit aliquorum opinio, quod non poterunt licite in seruitutem tradi, quia Christiani sunt, & vsu, & more inter Christianos est receptum, vt capti in bello iniusto non fiant serui, sed pretio redimi queant. Ad hanc quaestionem respondendum est cum distinctione: Aut enim loquimur de iis, qui nocentes fuerunt, aut de filiis infantibus eorum, aut



de alijs adultis innocentibus, qui nullam operam suam in rebellando posuerunt. Et sic dico, Primò, qui nocentes fuerunt, iure, & facultate Regis poterunt in seruitutem tradi, quia iure poterant occidi. Ergo misericorditer actum est, si quidem vni seruiati sunt. Item ob delictum potest quis infamia perpetua, & seruitute puniri. Item licet vsu receptum sit, Christianos bello captos non fieri seruos Christianorum capientium, hoc solum probat, quod eo ipso, quod capiuntur, serui non sint ipsorum capientium, cum obster vsus, & mos apud Christianos communiter receptus: non tamen probat, eos licite non posse fieri seruos capientium noua lege, aut facultate Principis. Secundò, pueri filij eorum, qui nocentes in rebellando fuerunt, poterunt licite in seruitutem tradi, sicut filij ob peccatum, & delictum parentum, & possunt iure perpetua infamia puniri, vt vsu constat, & colligitur ex cap. *Cum multa. 15. qu. vltim.* Tertio, adulti innocentes, qui nullam operam posuerunt, aut consilium dederunt, & quorum parentes etiam liberi à delicto fuerunt, non poterunt licite serui effici; quoniam nec ob delictum suum, nec ob delictum parentum tam graui pena puniri possunt. Quarto, abique noua facultate regis nulli Maun Granatenfes bello predicto capti serui, poterunt esse capientium, quoniam iam erant baptizati, & Christiani, & vsus communiter receptus est, vt Christiani bello capti non sint serui capientium Christianorum, cui vsus nisi auctoritate Principis derogari non potest.

Vigesimo octauò generatim queritur, An ius belli vim habeat, vt qui capitur bello iusto, fiat seruus capientis, ita vt non sit licitum à domino suo fugere? Hactenus dixi de Christiano capto bello iusto à Paganis, Saracenis, vel Turcis, vel Christianis: modo dubium est in generali de quocunque, siue Pagano, siue Saraceno, capto in bello iusto ab altero Pagano, vel Saraceno, vel Christiano: Dux sunt opinioniones: Prima est asserentium, non esse licitum illi fugere. Sic Glossa cap. *Ius gentium. Dist. 13. Sic Nauar. in summa cap. 7. numer. 103.* quia facta à committeret fugiendo, cum se subtrahat à dominio eius, cuius est seruus: nam est seruus res, & possessio domini. Opinio secunda est asserentium esse licitum. Sic Sotus lib. 4. de iustit. qu. 2. art. 2. quia putari ius belli solum dedisse facultatem domino capienti, vt ipsum apud se retineat, & liberè vtatur operâ, & labore, & industria ipsius, quod si fugiat, ius etiam habeat eum insequendi, capiendi, & conueniendi in vincula, nè fugiat. Ceterum captus in bello, si potest fugere non resistendo, aut non nocendo domino, ius habet, ait Sotus, fugiendi. Mihi placet quod ait Couarr. lib. 7. *variar. resol. 1. cap. 2. num. 10.* quod captus in bello, ita fit iure gentium seruus capientis, vt licitum non sit illi fugere ad vagandum liberè, & commorandum intra confinia hostium, & eius qui bello eum cepit, cum sit tamè licitum fugere ad reuertendum in patriam suam, & in libertate se constituendi extra confinia hostium.

Vigesimononò queritur, An bellum ex vtraque parte bellantium possit esse licitum? Communis opinio, non posse esse licitum ex natura rei: quia si vnus habet ius bellandi contra alterum, iustitia est ex parte illius contra alterum: At verò ex ignorantia potest esse licitum ex vtraque parte, quia vtraque pars bonâ fide putans se habere ius contra alterum, bellum gerere potest licite.

Trigesimò queritur, Quando, & quibus casibus sit licitum Principibus Christianis bellum contra infideles gerere. Difficultas hæc consistit in multis. Primò an Hæretici eo ipso quod Hæretici sunt, possint licite debellari? Respondeo ex communi opinione, eos posse licite debellari; quia ob delictum, infamiam perpetuam, seruitutem, exilio, bonorum temporalium amissione, & morte corporali puniri possunt, & ob prodicionem patriæ, ergo ob hæresim: & prius operet, vt hæretici condemnentur ab Ecclesia tanquam hæretici, quam bellum eis inferatur. & hoc intelligitur de hæreticis subiectis Imperatori, Regi, vel Principi Christiano, qui in temporalibus superiorem non agnoscit. Et hoc probat

Castren. lib. 6. de iustia Hæret. punit. cap. 14. ex B. Gregor. lib. 1. Epist. 72. & ex alijs. Sed quid si Rex aliquis, vel Respublica hæresi inficiatur, & nolit resipiscere, ad quem pertinet bello persequi Regem illum, vel Respublicam non habentem superiorem in temporalibus? Respondeo: Rex ille ab Ecclesia condemnatur, vt hæreticus pertinax, tunc Regnum illi subiectum ius habet eum deiciendi à potestate regia, præsertim si Rex totum regnum ad hæresim conetur pertrahere: quia tunc Respublica iure naturali se ipsam defendere potest contra Regem, & regnum tunc ad legitimum successorem Catholicum pertinet: quod si non adit legitimus successor, aut ille etiam hæreticus est, tunc potestas eligendi sibi Regem ad Respublicam deuoluitur. Secundo, si Rex regnum hæresi corrumpere conatur, & regnum se corrumpi patiatur hæresi, tunc penes Papam est potestas concedendi alicui Principi Christiano, vt bellum gerat contra illum Regem, & bello eum cogat, si dem, & religionem quam professus est, retinere. Castren. li. 2. de iustia Hæret. punit. c. August. de Ancona de Potest. Papa. q. 28. art. 6.

Difficultas secunda est, An contra Turcas, & Saracenos quilibet Christianus Rex, vel Respublica, aut Princeps superiorem non agnoscens in temporalibus habeat ius ferendi bellum continuum? Respondeo, habere ius, quia occupant, & detinent provincias, & terras Christianorum. Item, quia persecutionibus, & bellis vexant Christianos, & religionem Christianam. Item, quia vt infestis hostes perpetuo conantur delere legem, religionem, & imperium Christianum. Caiet. 2. 2. q. 66. art. 8. Couarr. 2. 2. m. 2. in Rel. citata, Tabien. verb. *Infidelitas. §. 12.* Armill. Oidradus, Turceterem & ceteri communiter.

Tertia difficultas est, An Pagani licite debellari possint eo ipso solum, quod infideles sunt? Dux sunt opinioniones, vna est asserentium, licite posse. Sic Hostiensis, Abbas, Oidradus, Albertus, quos citat Couarr. *Relat. citata. §. 10. m. 1.* sic etiam sentit Angel. verb. *Infidelitas. m. 7.* Altera est opinio asserentium, non posse, eo solo titulo. Ita sentit Caiet. 2. 2. q. 66. a. 8. Antonin. 3. p. tit. 22. c. 5. §. 8. Syluester verb. *Infidelitas. qu. 7.* Armilla eod. verb. m. 7. Tabien. §. 12. *Infidelitas.* Ita etiam S. Tho. 2. 2. q. 12. art. 2. Innoc. 6. *Quod super his de voto.* Turceterem. c. *Dispar. 2. q. 8. c. Quod vobis 2. q. 1.* Hæc opinio est vera, & sequenda.

Quarta difficultas est, An Pagani iure debellari possint eo solo titulo, quod Idolorum cultores sint? Dux opinioniones. Prima est asserentium, posse. Sic Lyranus *Deut. 22.* Castren. lib. 2. de iustia Hæret. punit. cap. 14. Aluar. lib. 1. de *Planctu Ecclesie. cap. 57.* inde probantes, quia Idolorum cultus est contra ius naturale. Item quia est magna iniuria Dei, vt diuinus cultus, & honor creaturis tribuatur. Secunda est opinio asserentium, non posse eo solo nomine. Ita Couarr. *loco citato,* & hæc est communis, & vera: homo enim non semper est vindex, iudex, & punitor iniuriam, quæ fit Deo.

Quinta difficultas est, An Pagani licite possint debellari eo quod violatores sint iuris naturalis in proximos, videlicet, quia Paganorum Principes impuniè permittunt furta, fornicationes, vsuras, adulteria, homicidia, quia caribus humanis veltuntur, quia innocentes, aut nocentes, aut bello captos homines immolant Idolis: vsorum pluralitatem concedunt, coniugia dissolunt multi, & minimis de causis: Dux sunt opinioniones. Prima est asserentium, posse. Syluester verb. *Papa. q. 7. Infidelitas. q. 7.* Innoc. *suprà citatus,* Tabien. eod. verb. *Infidelitas. §. 13.* Antonin. eod. quem dixi loco. Secunda opinio est asserentium, non posse. Ita Couarr. *ubi supra.* Victoria *Relat. de Indif. num. . . .*

Respondeo in primis: si Paganorum rex solum prædicta omnia permittit impuniè, hoc est, non punit ea, non tamen præcipit vt ea fiant, tunc Christiano Principi non est licitum eo solo titulo debellare eum: quia impuniè permittere, est peccare contra legem naturalem, quando ea delicta permittentur, vel quia rex commode punire non posset, vel quia vellet maiora alia crimina deitare.

Secundò, si prædicta crimina passim fierent, vel permitte rege, vel punire potente, vel concedente ad ea libe-



ram facultatem, tunc Respublica Paganorum tunc regi subiecta ius naturale habet tuendi se contra iniusticiam Regis: & si commodè aliter se tueri nisi bello, & armis habet, quia ius est tuendi innocentes à morte, & ab iniusticia, siue iniuris contra eos factis. Tertio, in prædicto euentu si Respublica Paganorum contra Principem suum vocaret Principem Christianorum ad sui auxilium, & defensionem, tunc Christianus Princeps licet bello, & armis possit eam invadere. Nam ius habemus patrocinium ferendi contra iniurias, quæ illi inferuntur. Quarto, si Respublica Paganorum in prædicto euentu vellet Principem Christianum eligere in suum Regem, licet princeps Christianus possit consentire, aliter non: quia in prædicto euentu potestas creandi Regem, deuoluitur iure naturali ad Rempublicam, quæ in Regem suum ius transfertur.

Sexta difficultas est, quot sint iustæ causæ, quibus Paganus licet possit debellari à Christiano Principe? Respondeo esse multas. Primo, si fidem Christi impediunt, vel blasphemias, vel peruersas opiniones, vel persequutionibus, Tabien. Syluester, Caeteranus, Couarruias. Armilla, ubi supra, ex S. Thoma 2. 2. q. 10. ar. 8. Item secundo, si eorum subditos iam ad Christum conuersos conatur auertere à religione Christiana. Tertio, si Christianos offendunt. Quarto, si Christum verbis, vel factis expresse, & directè contumeliosè tractant. Quinto, si Euangelicos prædicatores impediunt, vel persequuntur, quia ius est Christianis ubique gentium Euangelium prædicandi. Sexto, si subditos metu, vel vi, vel mendacijs deterrent à religione Christiana recipienda. Septimo, si opus ierit bellum ad tuendos, & conferuandos fideles, qui ad Christum sunt conuersi, vel baptismum receperunt.

Trigesimoquarto queritur, Quot & quæ possint esse in vniuersum iustæ causæ belli? Maior in 4. Dist. 15. numerat ex Sacris litteris multas. Prima, quando Deus publicè blasphematur ob idololatriam Deuter. 12. Secunda, ob discessum à cultu Dei, Deut. 13. Tertia, quia fidelitas temporalis dominij deletur, 4. Reg. 3. Quarta, ob rebellionem 2. Reg. 20. Quinta, quia malefactores defenduntur. Iud. 20. Sexta, quia iniuria publica Principi irrogatur. 2. Reg. 10. Septima, quia res propria repetitur. 2. Reg. 3. 8. vt hostis repellatur. 2. Reg. 8. Nona, vt hostis conurgens, intra confinia sua contineatur, & sit transitus iure gentium. Liber Numerorum cap. 21. Decima, vt amicus ab hostibus eripiat, Gen. 14. cum de Loth sermo est ab hostibus capto, & ab Abraham liberato. Duodecima, quia Princeps est tyrannus. 1. Machab. 5. 2. eadem causis colligit Castren. lib. 2. de iustitia Hæret. p. 11. cap. 14. sed de his iudicandum est iuxta ea, quæ dixi supra in dubiis proximè citatis, de bello contra Hæreticos, Paganos, & Saracenos.

Trigesimoquinto queritur, An iure bellum sit de iustis hostibus tributa, & alia onera personalia, & realia imponere? Respondeo, esse licitum. Victoria num. 35.

Trigesimosexto queritur, An iure bellum sit de iustis hostibus Principes deponere, nouos confirmare, & sibi etiam aliquando regna, & prouincias assumere? Respondeo esse licitum. Victoria num. 38.

Cetera, quæ pertinent ad restitutionem eorum, quæ bello capiuntur, dicemus in Tract. de statibus personarum.

### De mandante Homicidium.

#### CAPVT VIII.

NOTANDVM primò, si quis homicidium mandauit fieri, ipsi imputatur. ita communis opinio: lege Syluestrum in verb. Homicidium t. q. 7. Nauar. cap. 27. nu. 233. Couar. in Clem. Si furiosus, de homicid. par. 2. §. 2. Angelum verb. Homicidium num. 9. & seq.

Secundò notandum, si quis nomine suo mandauit homicidium, & ante effectum expresse reuocauit mandatum, & prohibuit fieri homicidium, liber est ab homicidio. Ita communis opinio.

Instit. Moral. Pars 3.

Tertio notandum, si quis mandauit homicidium, & ante effectum tacite reuocauit mandatum, id sciens mandatario, liber est ab homicidij culpa mandator. v. g. mandauit Titius famulo, vt Sempronium occideret, sed ante effectum homicidij, pacem, aut familiaritatem, aut affinitatem inuit cum Sempronio Titius, id sciens famulo, tunc si famulus occidat Sempronium, non imputatur Titio homicidium. Sylu. verb. Homicidium, t. q. 7. & communis opinio. Secus est, si mandatarius ignoret reuocationem, aut expresse, aut tacitam: tunc enim etiam mandator reus erit homicidij.

Quarto notandum: Aliquando quis tacite solum dicitur mandasse homicidium. v. g. pater, aut dominus passus iniuriam dixit filio, vel famulo, non redeas in domum meam donec aliquid noui audiam de te, & filius, vel famulus occidit eum, à quo pater, vel dominus fuerat iniuria affectus, tunc mandator reus est homicidij. Couarr. in Relect. Clem. si furiosus de Hom. p. 2. §. 1. n. 3. & communis opinio.

Quinto notandum, Mandator non tenetur de homicidio perpetrato à mandatario contra mandati formam, aut præter eam, vbi facillimum mandataro fuit mandati limites obseruare. v. g. mandauit Titius alteri, vt Sempronium occideret extra prætorium, aut domum publicam, ille verò occidit intra prætorium, non tenetur mandator de percussione intra prætorium, & de damnis inde secutus ex hoc, quod facta est percussio intra prætorium. Item mandauit Titius alteri, vt Sempronium occideret, & nihil aliud mandauit, mandatarius verò vt occideret, domum incendit, vbi Sempronius commorabatur, vt ipsum exueret, non tenetur Titius de incendio illo, quia factum est à mandatario præter mandati formam. Couar. ubi sup. & com. opin.

Sextò notandum, Mandauit Titius alteri, vt occideret Sempronium, & mandatarius per errorem occidit Caium, quem putauit esse Sempronium, mandator tenetur de Homicidio hominis, non tamen de homicidio Caii.

Septimò notandum: Mandauit Titius alteri, vt occideret Sempronium laicum, mandatarius errore occidit Seium clericum, quem putauit esse Sempronium laicum, habitu tamen clericali vestitum, tenetur Titius de homicidio hominis, non tamen de homicidio clerici.

Octauò notandum: Mandauit Titius alteri, vt verberaret, vel percuteret, vel eaperet, vel in carcerem coniceret Sempronium, expresse iubendo ne occideret, & caueret ne occideretur, tunc licet aliquando in aliquo casu liber esse possit ab homicidio, non tamen semper liber est ab irregularitate, nec in totum ab onere restitutionis, quando nimirum priora illa opera sunt periculosa, aut quando mors illa secuta præuideri potuit. Couar. Nauar. Sylu. locis allatis.

Nonò est notandum: Prelatus habens iurisdictionem temporalem, & imponens officiali suo, vt super tali maleficio, vel delicto inquirat, & iustitiam exequatur, non est homicida, nec irregularis, si inde sequatur homicidij. e. Episcopus, in Clerici, vel Monachi in 8.

### De Habente ratum Homicidium nomine suo factum ab alio.

#### CAPVT IX.

NOTANDVM primò, si quis ratum habet homicidium nomine suo factum ab alio, eum sine dubio peccare, quando sibi placet homicidium factum ab alio, & & ita consentit in eo.

Sed est hic dubium, Primò, quinam teneatur ad restitutionem homicidij? In quo sunt due opiniones: de qua re dicemus in 7. præcepto in materia de Restitutione.

Alterum dubium, An fiat irregularis, sicut ex iure canonico fit excommunicatus ipso facto, si ratum habet homicidium clerici factum nomine suo ab alio? In quo sunt opiniones: de qua re dicitur in Tract. de Censuris, & pen. Eccl. in materia de Irregulari. lege Sylu. Nau. Cou. Ang. ubi supra.

Secundò notandum: Vt is, qui ratum habet homicidium nomine suo perpetratum, incurrat excommunicationem, aut irregularitatem, requirit certas condiciones, de quibus in locis sup. citat.

G 3

De



## De Consulente Homicidium.

## CAPVT X.

**N**OTANDVM primò, ex consilio in delictis quis tenetur. *cap. Nuper, de Hæret. excom.* Vnde non solum est reus homicidij, sed irregularis.

Secundò notandum, differentiam esse inter mandantem, & consulentem homicidium: quod consulens, si non firmiter credit, quod locum habeat reuocatio consilij, tenetur monere occidendum, vt sibi caueat, ne sit irreg. ar. s. ar. mandans satis est, vt reuocet expresse, vel tacite mandatum, id sciente mandatario. Consulens igitur non satisfacet reuocando consilium, sed tenetur persuadere contrarium. Nam consilium datur gratia eius, cui consulitur: qui non tam citò credit ei, qui contrarium suadet: at mandatum fit gratia eius, qui mandat: vnde sufficit, vt mandatarius sciat voluntatem mandantis esse contrariam. *Sylu. Angelus, Nauar. de Contrariis vbi supra, s. 3.*

Tertiò notandum, esse dubium inter Auctores, An qui dedit consilium, alicui facturo delictum, sit eadem pena puniendus, quàm is qui dedit consilium alicui non facturo delictum, aliis asserentibus eadem penam esse puniendum, aliis verò negantibus. De hac tamen re dicemus in materia de irregularitate. Verùm quidquid sit de hac re, dicendum est quod spectat ad culpam homicidij, & onus restituendi: is tenetur, quando sine eius consilio delictum factum non fuisset, quod si perpetratum fuisset absque eius consilio, peccauit qui consuluit, eò quod consuluit delictum, sed liber est ab onere restituendi, vt dicitur in materia de restitutione, si homicidium alius perpetravit, non motus eius consilio. Sed si reuera motus est eius consilio, etiam si alicui delictum esset facturus, tunc non est liber ab onere restitutionis, vt ibidem.

Quartò notandum, quando consulens homicidium intrinsecè irregularitatem, & quando non, dicemus in tract. de Censur. *cap. pan. Eccles. in materia de irregularitate.*

## De Auxiliante, aut cooperante ad homicidium.

## CAPVT XI.

**P**RI-MO notandum, quoties plures præmissò consilio eundem hominem sunt aggressi, & ille ex vnicò tantum vulnere mortuus est, tenentur omnes, etiam si non percussissent, de homicidio, quia se omnes inicitant, & ex còmuni consilio perpetratum est homicidium, licet ab vno.

Secundò notandum: Quando vnus est percussus à pluribus in rixa subito contingenti non præmissò consilio, & cõstat quodnam ex tot vulneribus sit lethale vulnere, & quis illud intulerit, is tenetur de homicidio, ceteri de percussione tantum.

Tertiò notandum, quando quis ab vno lethali vulnere percussus, & ab altero exanimatus, & occisus est, posterior tenetur de homicidio, prior de vulnere, *lege c. Significasti, de Homicidio, & Contrariis loco citato.*

## De Non impediente homicidium.

## CAPVT XII.

**P**RI-MO notandum: Medicus, qui non vult curare ægrotum, cum commodè possit: Diues, qui non succurrit extreme indigenti cibando, vel potando, vel vestiendo, vel aliter iuuando misericorditer: Item qui non defendit innocentem periclitantem: Item qui non subuenit peste, vel naufragio, vel incendio laborantibus, cum commodè possint, peccant quidem hi contra charitatem debitam proximo, non tamen tenentur ad restitutionem, *Nauar. cap. 27. nu.*

231. Antonin. 3. par. tit. 28. c. 2. quia hi omnes non peccantur contra iustitiam debitam proximo.

Secundò notandum: Qui suo testimonio alicquem ab iniusta morte liberare potest, & non vult testificari id quod nouit extra confessionem Sacramentalem, etiam non requisitus ad testificandam, cum commodè testificari queat, neque saltem facit, quod in se est, denunciando veritatem ei, qui potest prodesse innocenti damnato ad mortem, peccat contra charitatem, licet non tenetur ad restitutionem. *Nauar. cap. 15. num. 27. ex S. Thoma 2. 2. q. 20. art. 1. Gab. 4. dist. 15. q. 6. art. 2. Conclus. 47.*

Tertiò notandum: Qui non impedit homicidium, quando ex officio iustitiae tenetur impedire, non solum est reus homicidij, sed etiam quia tunc agit contra iustitiam debitam proximo, tenetur ad restitutionem. v. g. Iudex qui non impedit sententiam iniustam contra vitam innocentis: testis iudicis requisitus occultans veritatem: Dux non impediens bellum iniustum: Rex non impediens necem, & caedes innocentium subditorum: Medicus stipendio conductus in specali ad curandum eos, qui sunt peste, vel morbo pressi, non curans eos: naua non succurrens navi in periculo naufragij. *Sylu. verb. Homicidium, l. q. 6. & communis opinio.*

Quartò notandum: Qui secit tractari de alicuius morte iniqua, & non significat illud ei, aut saltem alicui, qui possit prodesse, peccat contra charitatem, quando commodè potest monere, armum sine periculo suo, vel suorum, & non mouet non tamen obligatur ad restitutionem: *Sylu. Homicidium, l. q. 10. Nauar. cap. 24. num. 234.*

Vltimò notandum: Qui domi suae alit, aut custodit feram aliquam beluam, v. g. leonem, vltim, aut elephantem, & est in culpa, an non diligenter custodiendo, aut soluendo illa efferat animalia tam noxia, & illa soluta vinculis, aut liberè egressa occidant alicquem, reus est homicidij, vt communis est opinio, & tenetur ad restitutionem.

## De Homicidio factò in ebrietate, amentia, aut ignorantia.

## CAPVT XIII.

**P**RI-MO notandum, quod ebrietas potest accedere ex culpa, quia quis se sciens, ac volens inebriauit, & potest accedere absque vlla culpa, quia bona fide bibit, nec credidit se ex potu ebrium futurum.

Secundò notandum, Cum quis ex culpa se inebriat, aut id contingit, quia voluit bibere vt se inebriaret: aut quia expertus se alias sepe tali potu in ebrietatem incidere, noluit modo à tali potu abstinere, aut probabiliter credens se in tali potu ebrium futurum bibere.

Tertiò notandum, eisdem modis posse alicquem in amentiam, aut furorē incidere, nimirum ex culpa, aut sine culpa, & ex culpa dupliciter, vt dixi de ebrietate.

Quartò notandum: Eodem modo ignorantia in aliquo, aut est culpabilis, aut absque culpa. Culpabilis est, cum quis habet eam, aut quia expresse voluit ignorare, & dicitur affectata ignorantia, aut quia diligentiam debitam non adhibuit, vt sciret, & dicitur crassa, aut supina; quia negligenter se habuit in sciendo, & ita tacite noluit scire, qualis eius est, exempli causa, de quo Propheta: *Plal. Noluit, aut, intelligere, vt bene ageret.* Inculpabilis verò ignorantia est, quando quis adhibuit omnem debitam diligentiam, adhuc rem ignorat.

Quintò notandum: Certum est apud omnes, quod si quis se inebriat, vt occidat, imputatur illi homicidium postea secutum in ebrietate, & imputatur illi non quia cum in ebrietate committit illud, vltim rationis habeat, sed quia voluntarium fuit in causa: nam volens se inebriauit, vt occideret.

Sextò notandum: Si quis expertus est, se in ebrietate exponi periculo occidendi alios, tunc si sua sponte inebriatur, etiam si non animo occidendi, imputatur nihilominus ei homicidium in ebrietate factum, quia

fuit



fuit voluntarium in causa, non quidem expresse, & formaliter, sed implicite, & tacite, siquidem potuit praevidere, & praevidere homicidium, & non fecit, nam expertus est se in ebrietate solum arma capere, & alios percutere. Si tamen quis absque culpa inebriatur, non imputatur illi homicidium secutum postea, quia non fuit voluntarium in causa. Hæc Nauar. *cap. 27. nu. 23.* receptus communiter.

Septimo notandum: Si quis est expertus, se exponere periculo occidendi in ebrietate, nec præcogitavit de homicidio, licet culpa sua se inebriat, non imputatur illi homicidium, si postea illud in ebrietate sequatur. Ita Couarr. *Clem. Si furiosus de homicidio. par. 3. in princ. num. 4.* Nauar. *cap. 27. num. 24.* Castren. *de lege poenali. lib. 2. cap. 14. §. 4.* Maior. *4. distinct. 17. quæst. 8.* quia tunc homicidium factum non est voluntarium, aut in se, aut in causa, cum non fuerit præsumptum, aut præintantum.

Vltimo notandum, idem esse dicendum de dormiente, furioso, & ignorante, si homicidium quis faciat, aut dormiendo, aut ignorando, aut in furore.

### De Homicidio facto ex casu.

#### CAPVT XIV.

**P**rimo notandum. In Iure Canonico, Homicidium esse duplex, vnum quod dicitur voluntarium, alterum verò, casuale. In hæc membra diuiditur homicidium illicitum.

Secundo notandum, Hanc homicidij distinctionem esse cognitum necessariam, vt sciatur, quando irregularitas, quæ incurritur ex homicidio, sit indispensabilis ab Episcopis, & quando sola dispensatione Papæ.

Tertio notandum, Doctores varie loqui, cum docent, quid intelligatur in Iure Canonico, per homicidium voluntarium; Alij enim nimis extendunt. Nauarrus, *cap. 27. num. 23. & 24.* ait, ad homicidium voluntarium requiri, vt sit homicidium illicitum intentum in se saltem æquipolenter, aliàs quam vitandæ mortis propriæ causâ, & ita fecundum eum requiritur, vt sit intentum in se, aut saltem in causâ, quæ sit proxima, vel ex se ordinata ad mortem. Verbi gratia. Dedit quis alteri venenum scienter mortiferum, licet non intenderit mortem illius, est voluntarium homicidium, si ex veneno moritur. Similiter quis alium percussit vulnere letali animo expresse non occidendi, est homicidium voluntarium. Probat Nauarrus, quia Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 7.* appellat homicidium voluntarium, quod vult esse indispensabile ab Episcopis, quod est intentum, vel per insidias, vel prodicionem, vel per industriam, vel ex proposito, vel ex voluntate. Ergo debet esse intentum in se formaliter, vel virtualiter. Sic etiam docet Couarruias. *2. par. Clement. Si furiosus, initio num. 1. & 2.* Sed Caiet. *2. 2. quæst. 64. art. 8.* docet, homicidium voluntarium esse, quod est vel intentum per se, vel in causâ aliqua, ex qua semper, vel frequenter, vel in pluribus solet euenire homicidium. Ita, vt non sit ratio habenda huius, quod dixerunt Couarruias, & Nauarrus, quod causâ debet esse talis, vt sit propria, vel immediata, vel per se ordinata ad homicidium, sed sufficit, vt sit talis, vt ex illa vel semper, vel frequenter, vel in pluribus solum sit sequi homicidium: nam voluntarium in hac materia distinguitur a casuali, & casus dicitur id, quod raro, siue in paucioribus solet accidere ex aliqua causâ. Hæc sententia mihi magis placet.

Quarto notandum. Ex dictis secundum Caietanus, qui mihi probatur, sequi, homicidium casuale dici, quod non est intentum in se, aut in aliqua causâ, ex qua solum est accidere homicidium semper, vel frequenter, sed solum dicitur voluntarium in aliqua causâ, ex qua raro, siue in paucioribus sequi solet homicidium, quam causam tenebantur aliquo iure vitare.

Tria ergo requiruntur ad casuale homicidium: Primum, vt non sit per se intentum: Secundum, vt sequatur ex opere illius, cui imputatur, nam, si non sequitur ex illius opere, nullo modo erit voluntarium in eo, quoniam non per se, vt supponitur, non per accidens, quoniam non in causa, si ex opere illius, cui imputatur, non sequitur: ergo requiritur, vt mihi imputetur, si sequatur aliquo modo ex opere meo: Tertium, vt is, cui imputatur, debuerit vitare opus illud, ex quo sequitur homicidium: & factus est, vt sit obligatus vitare illud, teneatur aliquo iure diuino, vel naturali, vel humano vitare illud.

Quinto notandum. Non semper omne homicidium casuale culpæ imputari: tunc autem culpæ non imputatur, quando nullo modo est voluntarium, neque in se, neque in causâ sua: hoc autem contingit, quia nullo modo est præsumptum, nec prævideri potuit, etiam si sufficiens diligentia esset adhibita: tunc vero est aliquo modo voluntarium, quando, vel fuit præsumptum, vel diligentia adhibita sufficiens prævideri potuit, ac debuit. Vnde sequitur homicidium casuale esse culpabile, si datur opera rei alicui, etiam licite, non adhibita debita diligentia, ne ex ea sequatur homicidium. Verbi gratia. Projicit quis lapides, aut regulas ex tecto licite, non habita ratione prætereuntem per viam, & occiditur aliquis ictu regulæ, vel lapidis demissi ex tecto, est homicidium casuale culpabile. Item casuale homicidium dicitur esse culpabile, si datur opera rei illicitæ, aliquo iure prohibite, vel naturali, vel humano, & sequitur ex re illa, etiam si sufficiens diligentia adhibita sit, ne sequeretur. Verbi gratia. Clericus facit officium Chirurgi, & per adustionem, vel sectionem medetur vulnere homini, diligenter curans ne moriatur, & tamen moritur, etiam si ex incuria ipsius vulnerati, est nihilominus culpabile homicidium, non quidem ex se, aut ex natura rei, sed extrinsece, in causâ nimirum: quia cum sit Clerico prohibitum Iure Canonico, Chirurgi officium facere, peccauit illud officium obeundo: vt ait Nauarrus, *cap. 27. nu. 23.* Couarruias *Clem. Si furiosus par. 2. §. 2.* vt colligitur ex *cap. Tua vos. de homicidio.*

Sexto notandum. Diligentia sufficiens, siue debita in hac materia dicitur, quæ fieri consuevit in similibus negotijs, habita ratione personæ, loci, temporis, & rei, lege Caietanus *loco citato.* Quot verò, & quæ requiruntur, & sufficiant, vt homicidium casuale inducat irregularitatem, dicitur in *Tract. de Censuris, & Pæn. Eccl. in materia de Irregularitate.*

### De Homicidio proveniente, ex ludo aliquo prohibito.

#### CAPVT XV.

**P**rimo notandum, esse aliqua ludorum, & spectaculorum genera periculosa, ex quibus probabiliter, aut frequenter solet accidere mors, aut mutilatio, aut grauis aliqua infirmitas: & hæc sunt prohibita, vel iure naturali, vel Canonico. Talis esse gladiatorum ludus solebat olim apud Gentiles, & talia erant torseamenta, quibus olim se milites intra circulum ad pugnandum coniciebant.

Si tamen sint ludi, vel spectacula, ex quibus raro solet mors accidere, aut vulnus, aut morbus letalis, tunc non sunt prohibita, talia sunt hastiludia. Sic communis opinio. Nauarrus *cap. 25. num. 8. & 9.*

Secundo notandum. In Hispania solent esse publica quedam spectacula, quibus tauri intra circulum agitantur, de quibus spectaculis fuit, & est modo quæstio inter Doctos viros, an sint ex natura sua illicita, quibusdam assentibus, esse illicita, quia frequenter ex illis solet accidere mors, aut vulnus graue aliquod hominis; alijs assentibus non esse illicita, quia non solet ita contingere frequenter. Sed quid sit de hac quæstione, duo



sunt certa. Primum est, hæc spectacula iure humano posse esse prohibita, & ita prohibuit Pius V. in Bulla edita anno 1567. quæ habetur apud Nauarrum cap. 15. num. 19. quæ Bulla habet vim obligandi ad mortale peccatum, si quidem sub poena excommunicationis prohibet hanc taurorum agitationem fieri.

Secundum est. Omnes obligationes, Iuramenta, & Vota, à quibusvis Personis, Vniuersitatibus, vel Collegijs de taurorum agitatione in honorem Sanctorum, seu quarumvis Ecclesiarum solemnitate, aut Festiuitate factas, aut faciendas in posterum, esse irritas, & cassas ipso facto, quia sic decernit Pius V. in supradicta Bulla.

Tertio notandum. Post supradictam Bullam Pij Quinti, esse editam aliam de eadem re à Gregorio Decimotertio, in qua Gregorius tollit excommunicationem, & alias censuras à Pio Quinto latas contra Laicos, hanc supradictam taurorum agitationem in suis Terris, Ciuitatibus, Prouincijs, Oppidis, vel Locis fieri permittentes, & contra Laicos, qui cum tauris in supradictis spectaculis pedestres, vel equestres congressi audent. In reliquis verò confirmat Bullam editam à Pio Quinto, ac ita quantum ad reliqua contenta in prædicta Bulla Pij Quinti vim suam, & robur habet illa confirmatio, in qua decernit supradictus Pontifex Pius Quintus. Primo, vt Clerici, tam Regulares, quam Seculares Beneficia Ecclesiastica obnones, vel in sacris Ordinibus constituti, his spectaculis non intersint, sub poena excommunicationis. Vbi nota, esse hanc obligationem ad peccatum mortale, quoniam imponitur sub poena excommunicationis non latam, sed ferendam, & ipso facto incurritur, sed post monitionem Episcopus potest excommunicationem ferre. Item non comprehenduntur Clerici omnes in minoribus Ordinibus constituti, sed in Sacris, & beneficia Ecclesiastica habentes. Secundo, Gregorius XIII. addidit, vt huiusmodi spectacula non fiant in diebus Festis, quos Ecclesia præcipit obseruari, sed alijs profectis diebus, quod modo sectatur in Hispanijs.

Quarto notandum, ex Siluest. verb. Ars. quest. 8. peccare mortaliter vtentes aliquo iudo cum probabili periculo suæ vitæ, quales sunt funambuli, qui super fines in altissimis locis corpus huc, atque illuc volitant. Quod recte limitat Nauarrus cap. 10. num. 8. nisi quando funambulus, ita viribus, & dexteritate, & exercitatione pollet, vt probabile sit, non inde securam mortem, aut locustæ non est admodum alius.

Primo queritur. An licitum sit vendere, vel facere arma, vel venena, quibus homines læduntur, aut occiduntur? Lege Siluestrum Verb. Ars. quest. 3.

Secundo queritur. An ars balistarum sit licita? Lege Siluestrum d. verb. Ars. quest. 3. c. cap. 1. de Sagitta.

### De Homicidio factò à Clerico.

#### CAPVT XVI

PRIMO notandum. Inter grauiora crimina homicidium in iure Canonico computatur, vt probat Bernardus Diaz in Pract. Criminal. cap. 88.

Secundo notandum. Clericum homicidam esse deponendum, siue factò, siue mandato, siue consilio, sit homicida. Olim deponebatur, & depositus deturdebatur in Monasterium. Bernard. ubi supra.

Primo queritur. An Clericus homicida ipso iure sit priuatus beneficio Ecclesiastico, quod habet? Dux sunt opiniones. Prima asserentium, esse priuatum. Sic Archidiaconus, & Barbatus; quos citat Bernardus loco citato. Secunda opinio est eorum, qui asserunt non esse ipso facto, siue iure priuatum, sed esse priuandum Iudicis sententia. Sic Innocentius, Baldus, Decius, Philippus, Felinus, Abbas; quos citat, & sequitur Bernardus, loco prædicto. Et hæc est opinio communis, & sequenda, & vide

tur colligi, ex cap. Clericus, tit. ne Clerici, vel Monachi. Nota tamen, quod Clericus homicida ipso iure est inhabilis ad acquirendum beneficium Ecclesiasticum, quod antea non habebat, licet non sit ipso facto priuatus beneficio, quod ante homicidium, iam habebat. Hæc communis opinio.

Secundo queritur. An Clericus homicida enormis, qualis est, qui Patrem, vel Fratrem, vel Presbyterum, vel Clericum occidit, sit priuatus ipso facto beneficio, quod antea acquiritur? Dico non esse priuatum. Sic Bernardus, ubi supra.

Tertio notandum. Clericus duellum sponte offerens, vel suscipiens, incurrit eas penas, quas diximus supra hoc præcepto. h. 7. cap. 6. Lege cap. 1. de Cleric. pugnanti. in duello.

Quarto notandum. Clericus mandans occidi aliquem Christianum per Assassinos, ipso iure est degradatus, hoc est; priuatus omni Priuilegio; & Immunitate Clericali; ita vt Clericus sic occidens possit puniri per Iudicem Seculare, & quisque possit eum capere, ac si degradatio præcellisset. Sic Bernardus in sua Pract. Criminali cap. 9. ex Lapo, Dominico, Barbato, Lapo, Boerio, Arnaldo, & alijs, & colligitur ex cap. Pra humani, de homicid. in sexto, ubi dicitur, quod Clericus sic mandans, ipso facto incurrit sententiam excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio, & quod habeatur tanquam dissidatus, siue bannitus à populo, vt dicam in §. proxime sequenti.

Quinto notandum. Episcopus potest dispensare cum Clerico misericorditer, vt Beneficium retineat. Bernardus, ubi supra cap. 88. Couart. Clem. Si furiosus, part. 2. §. 3. num. 6.

Sexto notandum. Clerici bellare licite non possunt. S. Thomas 2. 2. quest. 40. art. 2. Querens, quo iure bellum sit Clericis interdictum? Respondeo, iure canonico esse illis prohibitum, non diuino, aut naturali; vt probat Scotus lib. 1. Institut. quest. 1. art. 4.

Tertio queritur. An sit mortale peccatum in Clericis militare, id est, bello vacare? Dico esse, si sunt sacris in ordinibus constituti, Scotus ubi supra, & Couat. Clem. citata par. 2. §. 3.

Quarto queritur. An sit peccatum in Clericis in minoribus Ordinibus constitutis militare? Scotus ait, esse veniale peccatum, non mortale. Sed Couarruias Clem. Si furiosus de Homicid. par. 2. §. 3. num. 3. absolute dicit, nullum esse peccatum. Certè consuetudine excusantur ab hoc peccato isti Clerici minores.

Quinto queritur. Quid si minoribus Ordinibus initiati habeant Beneficium Ecclesiasticum? Erit ne illis licitum sine peccato mortali militare? Dico, in illis tunc esse graue peccatum militare; quia tenentur ratione Beneficij viuere more Clericali.

Sexto queritur. An Prælati Ecclesiastici, nimirum Episcopi iurisdictionem temporalem habentes, Ius, & auctoritatem indicendi bellum habeant? Respondeo, eos habere. Ita Siluest. verb. Bellum, 3. quest. 1. ex Incendio, & alijs, quia iurisdictionem temporalem habent aliquando non habentes superiore in temporalibus. Sunt enim aliquando Ducēs, Marchiones, Comites, non agnoscetes superiorem in temporalibus. Nam si agnoscant superiorem in temporalibus, tunc non habent Ius indicendi bellum, sicut supra diximus de ceteris Principibus habentibus iurisdictionem in temporalibus.

Septimo queritur. Quam Episcopi Ecclesiarum ex vi potestatis spiritualis, quam habent, ius, & auctoritatem habeant indicendi bellum Hæreticis, aut alijs excommunicatis parere nolentibus? Siluest. Bellum quest. 2. ex Innocentio, Hostiensis, ait, eos habere. Item eos habere auctoritatem indicendi bellum Saracenis, & Turcis hostibus Fidei, & Religionis Christianæ. S. Thomas secund. secunda q. 40. art. 2. ad primum videtur docere, non habere eos hanc auctoritatem, sed quod solum habeant spirituales, cuius vi possunt agere con-



re contra contumaces per admonitiones, orationes, & supplicia, & per censuras Ecclesiasticas, quæ sunt arma spiritualia Ecclesie, quod videtur certius regulariter loquendo.

Octavo quaeritur, An Clericus sit licitum pugnare in bello in articulo necessitatis, nimirum ob defensionem sui, vel suorum sociorum, quando aliter mors propria, vel amici sui, vel sociorum evitari non possit? Respondeo, esse licitum. Sic Caietanus *secund. secund. quæst. 40. art. 2.* Siluest. *Homicidium. 3. quæst. 6. vers. 2. & quæst. 2.* Item pro defendendo Rege, Principe, Patre suo, aut pro defensione Exercitus, Civitatis, quando aliter defendi non possit, nisi Clerici pugnarent. Caietanus. Siluest. *loci citatis*, & colligitur ex cap. *Dilecto. de sentent. excommunic. in 6. & 23. quæst. 3. cap. Maximianus. & cap. Si quis.*

Nono quaeritur, An Clerici in prædicto casu pugnant, & occidentes incurant irregularitatem? Dicemus in *traît. de censu. Eccles. in materia de irregul.*

Decimo quaeritur, An licitum sit Clericis occidere pro defendendis rebus suis temporalibus, quando eas aliter defendere non possent? Dux sunt opiniones. Prima non esse licitum. Sic Archidiaconus, Abbas citati à Siluestro in *verbo Homicidium. 1. quæst. 4.* Fortassis solum voluerunt allectere, quod tunc incurant irregularitatem.

Opinio secunda est asserentium, esse licitum, quia bona temporalia sunt ordinata ad conservationem propriæ vitæ. Hæc opinio est verior, & de ea diximus *supra §. 2. In hoc præcepto.*

Vndecimo quaeritur, An Clericus licitum sit bellis iustis interesse? S. Thomas *2. 2. quæst. 4. P. art. 2. ad secundum.* ait esse licitum, ut milites rebus spiritualibus, & Sacramentis iuvent, non ut pugnent, aut militent.

Duodecimo quaeritur, An requiratur auctoritas Papæ, aut Episcopi, ut Clerici licite interint in bellis iustis? Respondeo in primis, ad militandum, aut pugnandum in bello extra articulum necessitatis requiritur in Clericis Sacris initiatis, vel Ecclesiasticum Beneficium habentibus auctoritas Papæ, quia in Iure communi est illis prohibitum militare: sed in Iure communi alius, quam Papa dispensare non potest, ergo exigitur auctoritas Papæ. Deinde respondeo: Ut Clerici simplices curam animarum non habentes, nec aliquod Beneficium Ecclesiasticum residentiam requirens, interint bello, non ad pugnandum, non requiritur auctoritas Superioris, quia nulla est in Iure prohibitio. Tertio respondeo: Ut eorum Clerici habentes, vel curam animarum, vel beneficium Ecclesiasticum residentiam requirens, bello interint, requiritur auctoritas Superioris, quæ est necessaria ad dispensandum in residentia.

### De Homicidio perpetrato per Assassinos.

#### CAPVT XVII.

**P**rimo notandum. Assassini in Iure Canonico sumuntur dupliciter. Primo late, ut sunt serui, sub Domino aliquo existentes, qui occidunt aliquos, ob pecuniam. Secundo proprie, & strictè, ut sunt Serui quidam Infideles, sub ditione alicuius Domini existentes, ita persuasi, ut putent, bonum opus esse occidere, quem Dominus suus iusserit, quomodocunque, aut quacunque causa iubeat, & non esse id omittendum, quamvis ob id occidi eos oporteat. *Naur. cap. 27. num. 135.* Siluest. Angelus in *verbo Assassinus.*

Secundo notandum. Cap. 1. de Homicidio in Sexto, ipso facto excommunicantur omnes, qui interficiunt aliquem Christianum per Assassinos.

Tertio notandum. Ibidem ipso facto esse excommunicatos, qui mandant interfici aliquem Christianum per Assa-

linos, etiam si postea non fuerint perpetrata mors; aut qui mandavit, mandatum reuocauerit. Ita communis opinio. Licet Dimus, & Angelus contrarium docuerint teste Bernardo in *Practica Criminali, cap. 89.* Similiter ipso facto sunt excommunicati, qui Assassinos receptauerint, defendunt, occultauerint.

Quarto notandum. Ipso Iure qui per Assassinos occidunt, aut mandant occidi aliquem Christianum, etiam si sint Clerici, habentur pro diffidatis, siue Bannitis à populo, ut in eo capite dicitur.

Quinto notandum. Ex prædicto cap. colligi, in hoc delicto hoc esse speciale, ut pena eo capite lata contra hoc crimen, incurrantur, postquam hoc tã execrabile delictum confiterit probabilibus argumentis, & ita valent testes recepti lite non contestata, etiam parte absente, & non citata, ut ait Bernardus ubi supra, & nulla alia requiritur sententia excommunicationis, depositionis, aut diffidationis. Similiter reos huius criminis, ut bannitos, siue diffidatos, cuique priuato est licitum occidere, & etiam si Clerici sint, a quocunque possunt licite capi, verberari, puniri, & occidi, quia ipso Iure priuati sunt omni Clericali priuilegio. Siluest. Angelus, *ubi supra.*

Dubium est in Cap. prædicto: Pro humani, de Homicidio in Sexto. Quomodo sumantur Assassini, strictè, & propriè, an late, & improprie.

Dux sunt opiniones. Prima est asserentium, quod prædictum Caput habeat locum in Assassinis, quomodocunque sumptis, etiam late. Sic Gemianus, Bartolus, Imola, Salicetus, ut citat Siluest. *ubi supra quæst. 2.* Opinio secunda est asserentium, solum habere locum in Assassinis, proprie, & strictè sumptis. Sic Andreas, Archidiaconus, Arcemus, quos citat, & sequitur Siluest. *eodem in loco, & Naurus.* Hæc opinio est verior, & sequenda.

### De Homicidij Speciebus diuersis.

#### CAPVT XVIII.

**N**OTANDVM, Homicidia distingui specie, ita ut declarari in Confessione debeant ex hoc, quod homicidia habent aliquas circumstantias addentes specialem peccati malitiam contra specialem aliquam virtutem. Iste autem species sunt, quæ sequuntur. Prima, homicidium distinguitur specie ab alijs homicidijs ex hoc, quod occiditur aliqua persona sanguinis cognatione, vel affinitate coniuncta; Verbi gratia. Si quis occidat aliquem ex suis parentibus, vel occidat fratrem suum, aut sororem, aut nepotem, aut alium cognatum, aut affinem suum, ut si quis occidat Socerum tuum, aut nurum suum. Hæc homicidia dicuntur parricidia, & sunt specie distincta ab alijs homicidijs, quia sunt non solum contra iustitiam proximi, sed etiam contra pietatem, quia honorare debemus personas nobis carnis propinquitare coniunctas. Pietas item est erga Patriam, & ita si quis prodatur Patriam suam, vel ei intenderit, aut vim afferat, aut contra Regem, siue Principem patriam peccet, speciale etiam peccatum est contra pietatem.

Si tamen quaeras, an hæc Parricidia specie distinguantur, iuxta varios propinquorum gradus? Dico distingui, ita ut singuli illi gradus sint in confessione exprimendi. Verbi gratia. Occidit quis Patrem suum, aut Matrem, aliud est specie peccatum, quam si occidat Fratrem suum. Item occidit quis Fratrem suum, aliud est specie peccatum, quam si occidat Consobrinum, & ita consanguinitatis, & affinitatis gradus sunt exprimendi, sicut dicemus in sexto præcepto de Incestibus luxuriosis.

Homicidium secundi generis distinguitur ex eo, quod est Sacrilegum homicidium, aut percussio. Nam eo ipso peccatur contra specialem virtutem Religionis, per quam honorem, & venerationem rebus sacris debemus. Et ita

hoc



hoc homicidium habet duas species: aliam qua occiditur, vel percutitur iniuriose aliqua persona Ecclesiastica, nimirum Clericus, vel Regularis: aliam, qua occiditur, vel percutitur, quis in loco sacro, violatur enim locus sacer. Item erit sacrilegium, & homicidium, si quis occidat aliquem veneno ei subministrato in Hostia, vel Calice consecrato, vel per aliquod maleficium rebus sacris abutendo. Item erit sacrilegium, si Presbyter, aut alius in Sacris constitutus occidat, quoniam speciali lege Canonica iubetur abstinere ab effusione sanguinis per homicidium, eo quod sit persona sacra Deo.

Secundo notandum. Si quis vno ictu sagitta, vel saxi, vel bellici tormenti occidat iniuste tres, aut quatuor, aut plures homines, necesse est vt in Confessione exprimat quot homines fuerint occisi, quia licet fuerit vnus actus, ille tamen terminatus est ad plures numero homines: vnde vt terminatur ad plures numero homines, variatur homicidium secundum obiectum numero distinctum, etiam numerice, & perinde est, ac si plura homicidia numero distincta fuissent perpetrata: nam homicidium sumit suam malitiam, ab obiecto, nimirum homine occiso.

Tertio notandum. Cum quis occidat aliquem per venenum ipsi propinatum occulte, aut per insidias, aut proditorem, etiam in Confessione id exprimi debet, quia non est tantum homicidium, sed etiam est proditio hominis innocentis, quae specialem deformitatem addit, ad rectam rationem. Et ita legibus homicidia per proditorem, vel insidias perpetrata grauissime puniuntur.

### De Homicidijs factis ex odio, ira, vel inuidia in Proximum.

#### CAPVT XIX.

**P** R I M O notandum. Licet homicidium dicatur odium in Proximum late, & communiter, tamen proprie loquendo, & stricto, non est odium. Quia odium est peccatum contra charitatem: homicidium vero est contra Iustitiam debitam Proximo. Fieri item potest, vt quis ius habeat occidendi alium, & tamen peccet occidendo non contra Iustitiam, sed solum contra Charitatem. Verbi gratia. Iudex occidit Reum mortis ex odio, quod in illum habet. Item publicus Iustitiae minister. Item quis, cum possit, non vult tamen subuenire alteri extreme indigenti, & fame pereunt, peccat contra misericordiam debitam Proximo; non tamen contra Iustitiam, quod si etiam omittat prestare opus illud misericordiae in Proximum, non solum peccat contra Misericordiam, sed etiam contra Charitatem debitam Proximo. Quod si ex officio suo teneretur subuenire illi extreme indigenti, & non subueniret, tunc non solum ageret contra Misericordiam, aut Charitatem, sed etiam contra Iustitiam debitam Proximo.

Secundo notandum. Homicidium dicitur factum ex odio, quoties aliquis occidit alium solum ex eo, quod auerfatur persona alterius: Verbi gratia. Titus ex odio dicitur occidere Sempronium, quando ex hoc solum, quod persona Sempronij displicuit, & est auersioni, & abominati, & quod ipsam personam proximi quatenus abominatur, volumus non esse. Item homicidium aliquando factum ex ira, quod tunc contingit, verbi gratia, quando Titus occidit Sempronium ex appetitu vindictae, vt vindicet iniuriam sibi a Sempronio illatam, aut quam putat Titus se accepisse a Sempronio. Item homicidium aliquando committitur ex inuidia in Proximum, quando quis occidit alium ex tristitia, qua tristatur ob alterius bonum, eo quod putat alterius bono suum proprium bonum impediri, aut minui.

### De Odio in Proximum.

#### CAPVT XX.

**P** R I M O notandum. Inter peccata, quae contra quintum Decalogi Praeceptum fieri dicuntur, computari possunt quatuor specialia peccata, nimirum odium in Proximum: Ira, & Inuidia in Proximum, & crudelitas, & scortia in Proximum: nam licet haec postrema tria peccata, sint peccata contra charitatem, & mansuetudinem & clementiam in proximum, & ita numerari debeant inter peccata, quae fiunt contra charitatem erga proximum; tamen congruenter computantur etiam inter peccata, quae fiunt contra hoc quintum Praeceptum. Nec obstat, quod hoc praecipuum sit de Iustitia quae Proximo debetur.

Secundo notandum. Quod odium in proximum est, vt ait S. Thomas 2. 2. *quae. 34. art. 3. Co. 4. Co. quae. 154. art. 4.* & Caietanus explicat 2. 2. *quae. 29. art. 1. malevolentia*, qua quis vult malum alteri absolute, hoc est, solum, quia ei alterius persona displicet: nam proximi persona potest displicere mihi ob multas rationes, & possum illi malum velle ob multas rationes. Verbi gratia. Sicut possum bonum alicui velle, ob plures rationes. Primo, quatenus est benefactor meus, & est actus gratitudinis. Secundo, quatenus indiget meo subsidio, & est actus misericordiae. Tertio, quatenus est mihi carnis propinquitate coniunctus, & est actus pietatis. Quarto, quatenus debitor eius sum, & est actus Iustitiae. Quinto, quatenus gratias volo bona mea expendere in eius commodum, & est actus liberalitatis. Sexto, quatenus absolute bonus est, & meus est amicus, & est actus charitatis. Sic e contrario, possum alteri malum velle. Primo, quia ingratus mihi est, aut quia iniuria me atfecit, & vindictam cupio, & est actus Irae. Secundo, quatenus eius bonum minuit meum honorem, vel gloriam, vel commodum, & est actus Inuidiae. Tertio, quatenus reus est violatae Iustitiae, & cupio peccati punitionem, & est actus Iustitiae. Quarto, quatenus ipsa persona proximi secundum se, & absolute absque vlla alia magis speciali ratione mihi displicet, & tunc est odium in proximum.

Primo quaeritur, An omne odium in proximum sit mortale peccatum, & quando erit veniale tantum peccatum? Respondeo, in primis, odium in proximum ex obiecto suo, vel natura sua est peccatum mortale, quia opponitur charitati debitae erga proximum.

Secundo respondeo, Odium in proximum ex accidenti fit veniale peccatum dupliciter. Primo, ob actus imperfectionem, quia non est ex perfecta deliberatione rationis. Secundo, ob paruitatem materiae, siue obiecti. Verbi gratia. Quando quis vult proximo suo malum aliquod fati exiguum, & paruum. Sicut in *verb. odium*.

Secundo quaeritur, An quando quis vult, & optat proximo suo malum aliquod temporale, ob bonum spirituale eius, sit peccatum. Verbi gratia. Optat quis alicui morbum, vel rei familiaris iacturam, vel aliquod aliud detrimentum, vt respicitur a peccatis, & ad D e v m conuertatur, an sit licitum? Respondeo, id esse licitum. Nauarrus *cap. 15. num. 10.* ex Alexandro, & S. Thomas 2. 2. *quae. 36. art. 2.*

Obijcies: Non est licitum facere proximo malum priuata auctoritate, vt corrigatur, ergo non est licitum precari, vt malum illi contingat. Nam quod non est licitum facere, non est licitum optare. Respondeo, solum argumento probari, quod non sit licitum optare, vt malum proximo contingat illatum ab aliquo priuata auctoritate, at est licitum velle, vt morbus illi accidat iniustus a Deo, vel alia calamitate temporali immissa a Deo.

Quaerens. An sit licitum optare alteri mortem corporalem



ralem, ut sic conuersus ad Deum, metu mortis saluus fiat? Dico esse licitum ex eisdem proximè allaris. Dices: Non sunt faciendæ, aut optandæ alteri mala, ut eueniant inde bona, Rom. 3. ergo non est licitum. Dico, argumentum non valere, quia in hoc non facimus, aut volumus, alteri malum, ut inde eueniat bonum, sed optamus illi malum bonum, nimirum salutem animæ spirituales, & æternam cum iactura, & detrimento sui boni temporalis, vel corporis: & hoc non est contra charitatem debitam proximo, quoniam quisque procurare debet sibi bonum animæ: etiam cum detrimento, si aliter commodè fieri non potest, boni temporalis. Et ita præter rationem conquiretur quis de nobis, si optemus illi bonum animæ eius, etiam cum iactura sui boni temporalis, quando aliter commodè fieri non potest. Aut dico, quod optare prædicta ob bonum spirituale proximi, non est optare illi malum, ut malum, sed optare malum, ut bonum, nimirum morbum, aliam iacturam temporalem, ut est medium viæ ad eius conuerfionem, & bonum spirituale animæ. Ita Sotus *lib. 5. de Iustitia quest. 12. art. 7.*

Quæres, An licitum sit etiam, non solum ob bonum animæ, sed etiam ob bonum temporale maius proximi, optare illi temporale aliquod incommodum. Verbi gratia. An sit licitum, si proximus est dissipator suorum bonorum, aut si luxuriose, & lasciuè nimium viuit ob diuitiarum copiam, optare illi detrimento aliquid bonorum temporalium, ne ludio, aut iustibus, aut lasciuis rebus, bonorum suorum temporalium totam substantiam perdat? Dico, esse licitum, quoniam non est nisi optare illi minus malum, non ut malum est, sed ut medium est, ad euitandum maius malum illius. Sotus *vbi supra.*

Tertio quæritur, An licitum sit optare malis, nimirum Turcis, Saracenis, Hæreticis, & alijs hostibus Ecclesiæ vel iustorum bonorum mortem temporalem, ne Ecclesiæ, vel Iustis, opprobriantur, vel ne Iustina æquitas, aut diuini cultus ratio conculcetur? Nauar. loco citato ex Alexandro, & S. Thomas ait, esse licitum. Ita etiam Sotus *lib. 5. de Iustitia quest. 12. art. 7.*

Quarto quæritur, An quando quis certò credit aliquem perpetuo condemnandum, licitum sit nobis optare illi mortem corporalem, ne Ecclesiæ, aut boni inique opprobriantur ab eo? Respondeo ex Soto *iam citato*, esse licitum.

### De Ira in Proximum.

#### CAPVT XXI.

**P**rimo notandum. Ira est cupiditas, qua quis vult alicui malum ob vindictam. Ita S. Thom. *secunda secunda questio. 158.* Nauartus *cap. 23. num. 113.* & sequent.

Secundo notandum: Ira distinguitur ab odio, quod per iram volumus alicui malum, ob vindicandum nos de ipso: ac odium est, quo volumus ipsi malum absolute.

Primo quæritur, Quando Ira sit peccatum? Respondeo, ex S. Thomæ, ubi supra, communiter recepto, iram esse peccatum in his casibus, qui sequuntur. Primo, quando quis appetit puniri aliquem, qui nihil mali est commertus. Secundo, quando appetit puniri aliquem plusquam meruit. Tertio, quando appetit aliquem puniri sine debito ordine, nimirum ab eo, qui non potest iure punire. Quarto, quando appetit puniri absque debito fine, hoc est, non ob bonum tuendum, aut culpam puniendum, sed ob alium finem. Quinto, quando appetit puniri absque debito modo, nimirum si immo dicere irascitur quis ita, ut blasphemet Deum, vel maledicat proximo, vel ei grauius, aut extreme egent non subueniat. Siluest. *in verbo Ira.*

Secundo quæritur, An Ira in prædictis casibus semper sit mortale peccatum? Respondeo. Primo, si adit plena

animi deliberatio, ut vindicta sit grauis, semper est mortale peccatum in prædictis casibus.

Secundo, si vindicta est exigua, qualis est, puerum leuiter percussere, vel per capillos trahere, aut si deliberatio rationis est imperfecta, tunc solum est veniale peccatum. Siluest. *loco citato.*

### De Inuidia in Proximum.

#### CAPVT XXII.

**P**rimo notandum. Inuidia est tristitia de bono alterius: ut proprium nostrum bonum impedire, vel minuire putatur. S. Thomas 2. 2. *quest. 36. art. 1.* Nauartus *cap. 23. num. 118.* Licite tristari possum de bono alterius, ut ab eo mihi imminet malum. Item, ut illud bonum mihi deest, & habere illud opto, siue alius habeat, siue non. Item tristari licite possum de bono alterius, quatenus ille est eo bono indignus. At verò si tristor de bono alterius, quatenus impedit, vel minuit propriam meam gloriam, vel honorem, vel laudem, vel excellentiam, vel commodum, est Inuidia.

Secundo notandum. Inuidia est peccatum mortale ex genere suo, vel natura sua, quia est contra charitatem debitam proximo S. Thom. *vbi supra.*

Dubium est, quando inuidia sit mortale peccatum, & quando solum sit veniale? Respondeo, tunc Inuidiam esse veniale peccatum, quando de bono eius tristor ex subito quodam motu, & affectu cordis nato ex imperfecta rationis deliberatione. Secundo, est veniale peccatum, quando tristor de bonis proximi minimis, & exiguis: at verò si adit plena rationis deliberatio, & bona proximi de quibus tristor, sint bona alicuius momenti, quia magna sunt, tunc Inuidia est mortale peccatum.

### De Maledictione in Proximum.

#### CAPVT XXIII.

**P**rimo notandum. Maledictionem sumi tripliciter. Primo, ut est enunciatio, qua opprobrium, siue conuitium per modum indicatum de proximo diximus, & tunc maledictio est species quedam detractionis, de qua in præsentia sermo non est, quia spectat ad octauum Præceptum Decalogi. Secundo, sumitur Maledictio, pro ut est enunciatio Imperatiua, quia malum alteri imperamus, & de hac est sermo in præsentia. Tertio, sumitur prout est enunciatio quedam imprecatoria, quia malum alteri imprecamur, & de hac re est etiam sermo hic: de qua agit S. Thomas 2. 2. *quest. 26.* Siluest. & alij Sumuntur *in verbo Maledictio.* Nauar. *cap. 23. num. 127.*

Secundo notandum. Quod licite possum alteri malum imprecari, non ut malum illi est, sed ut medium illi viæ, vel ad bonum ipsius spirituale, nimirum, ut corrigatur, vel est medium viæ illi, ad maius aliud malum temporale euitandum. Sotus *lib. 5. de Iustitia. quest. 12. art. 7.* & Siluest. *vbi supra* ex S. Thom. at verò imprecari malum, ut malum illi est, tunc est illicitum.

Tertio notandum, Quod est etiam illicitum maledicere creaturis sensu, & vita carentibus, & maledicere creaturæ alicui, ut in ea est participatio aliqua Dei, hoc est, ut est creatura Dei, siue secundum esse vitale, siue secundum esse naturale, est blasphemia, & maledictio in Deum, quia malum tunc imprecamur bono diuino, quod creaturæ est communicatum. Maledicere creaturis ratione carentibus, ut sunt possessiones quedam hominum, est maledictio in homines, quia imprecamur malum bono hominis, quod est in creaturis. Verbi gratia. Maledicere iumenta hominis, ut sunt huius, vel illius hominis.

Primo quæritur, Quando maledictio sit peccatum mortale,

tale,



tale, & quando veniale? Respondeo, tunc est mortale, quando adest plena animi deliberatio, & malum, quod alicui imprecatur, est magnum, siue alicuius momenti: est vero veniale solum, quando vel deliberatio est imperfecta, vel malum est minimum, & exiguum.

Secundo queritur, Quid dicendum de ijs, qui indeliberate, vel ore tantum, non corde maledicunt? Respondeo, non esse mortale peccatum, sed solum veniale, vt communiter maledicunt filijs suis parentes, vel familiae, coloni, agricola, & mulieres iumentis suis. Nauar. *supra*.

Tertio queritur, Quid dicendum de ijs, qui maledicunt ita subditis, vt statim eos poeniteat maledixisse, an poeent? Respondeo: si ex deliberata ratione, licet subita, maledicant, peccant, vel mortaliter, vel venialiter: nec signum est, quod non fecerint ex deliberatione aliqua, quod statim incipiat eos poenitere, quoniam sic multa facimus, & statim nos poenitet. Nauar. *loco citato*.

### De Crudelitate in Proximum.

#### CAPVT XXIII

**P**RIMO notandum ex S. Thoma 2. 2. *quest. 150*. Iram opponi Mansuetudini, Crudelitatem vero Clementiae.

Clementia autem virtus est, quae moderatur humanum affectum in poenis debitis infligendis, ne quis puniatur plusquam par est: Mansuetudo moderatur affectum Irae, & appetitum vindictae.

Secundo notandum. Crudellem eum dici, qui ex animi asperitate plus punit, quam ratio dicitur.

Tertio notandum. Quod ferus, vel ferus homo dicitur, qui plus punit, quam par est, & in sic puniendo delectatur, quia aliquis cruciatur. S. Thomas 2. 2. *q. 101. art. 2. ad 2.* & ita ferus, vel feritas magis est belluarum, quam hominum: Crudelitas vero reperitur in hominibus, qui puniunt ob delictum, vel vindictam, sed plusquam oportet. At belluae se se vindicant solum, ob bonum suum proprium utile, vel delectabile: & ita ferus homo est, qui cruciat, & punit, vt in eo oblectetur.

Quarto notandum. Crudelitatem esse peccatum mortale, quando poena quae sumitur ob vindictam, maior, & grauior est, quam oportet, & adest perfecta animi deliberatio: secus erit veniale peccatum.

### De delectatione interna in malis Proximi.

#### CAPVT XXIV.

**P**RIMO notandum. In peccatis internis aliquando est voluntas efficax, aliquando est sola delectatio, quae solet dici morosa. Voluntas efficax est desiderium, aut propositum faciendi aliquid: quod non facit, quoniam impeditur; alioqui si impedimentum non eilet, factura eilet. Delectatio vero est consensus deliberatus, quo aliquid nobis placet, licet nolimus illud opere complere.

Secundo notandum. Certum est apud omnes, voluntatem malam efficacem faciendi aliquid malum, specie distingui pro vt ipsa opera externa specie distinguuntur. Verbi gratia, voluntas efficax occidendi Patrem proprium, est parricidium. Voluntas efficax occidendi Clericum est sacrilegium. Et sic de alijs.

Dubium est. An delectatio morosa specie distinguatur, pro vt externa, vel obiecta fuerint specie distincta? Sed de hoc dubio dicam inferius in sexto Praecepto Decalogi. Satis sit in praesentia dicere, delectationem qua quis delectatur in rebus aduersis, & malis proximorum specie distingui, pro vt opera ipsa ex quibus sequitur delectatio, specie distinguuntur. Verbi gratia. Delectatur quis in homicidio Clerici, reducitur ad Sacrilegium: Delectatur in odio Proximi, vel Ira in Proximum, reducitur ad odium, vel iram.

Tertio notandum. Licetum est delectari ex affectu nato, & confectio ex morte, vel alienis malis, dummodo ipsa mors, vel malum proximi non placeat. Verbi gratia. Licite potest quis delectari ex hereditate sibi proveniente ex morte Patris, dummodo non delectetur in morte Patris.

Quarto notandum. Quoties in obiecto, vel opere cogitato aliqua ratio boni apprehenditur, absque apprehensione mali, quod est in illo; tunc potest licite voluntas delectari in illa ratione boni apprehensa, sine delectatione mali. Exempli gratia, Decidit quis ex equo, & laeditur; sed quia decidit modo quodam ridiculo, qui risum parit, licite possum latari illo modo ridiculo, dummodo non placeat mihi detrimentum proximi secutum ex casu. Atque haec quidem de hoc quinto Decalogi Praecepto dicta sint.

## FINIS LIBRI SECVNDI.

